





*[Faint, illegible handwriting on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side.]*





I. N. J.  
DISPUTATIO EXEGETICA  
*In*  
CAP. DECIMUM SEXTUM  
EVANGEL. JOHANNIS.

PRÆSIDE

DN. WILHELMO LYSERO, D. P.P.


& h. t. DECANO

*placida ventilationi exhibitæ*

à

M. DONATO ROLLIO TORGENSI.

*Ad diem XXIIII Junij, loco & horis  
consuetis.*



WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO MDCCCXLV.



VIRIS

AMPLISS: CONSULTISS: PRUDENTISSIMIS,  
DNNN.

COSS. JUDIC. & SENATORIB.  
Inclutæ Reipublicæ Torgensis  
Gravissimis,

*Dominis Patronis ac Macenatibus  
summè observandis*

DISPUTATIONEM hanc THEOLOGICAM

debitæ gratitudinis ergò

*submissè offert*

M. Donatus Rollius T.

*Autor & Respondens.*





I. N. J.  
DISPUTATIO EXEGETICA  
In  
CAP. XVI. EVANG. JOHAN.

THESIS I.



Uro contra æstimanda Servatoris nostri Con-  
cio, quam sublatis à cœna mensis, armatae jam in se  
manui obviam iturus ad Discipulos habuit, proximo  
retrò *cap. 15.* & quod pro viribus enucleatum dare ani-  
mus fert, *CAP. XVI.* absolvitur. Digna certè, cui  
dextrè explicandæ ulterior opera impendatur. At ne in ipso statim  
limine aberremus, scopi omninò, quem Christi verba intendunt,  
ratio habenda erit. Eum autem in finem Christo hic sermo insti-  
tutus est, ut contra sortem, quæ ipsos exceptura esset, solatia Disci-  
pulis adhiberet: id quod ex tota verborum, quâ se invicem excipiunt,  
serie manifestum evadit.

II. Misis aliorum Divisionibus totum hoc Caput in tres par-  
tes distribuimus. I. refert *Propositionem*, quæ bimembris est, *partim*  
de odio Mundi in genere *v. 1.* in specie *v. 2.* additâ persecutionis utri-  
usque *v. 3.* & vaticinii de iisdem causâ *v. 4.* *partim* de abitu Christi  
*v. 5.* quæ in mœrorem conjecerint Discipulos *v. 6.* sed, cum è re ipso-  
rum sit, ex vano metu *v. 7.* II. *Confirmationem*, 1. à Spiritus Sancti  
adventu, cujus triplex officium: *ἐλεγχτικόν* ratione Mundi *v. 8.*  
circa peccatum *v. 9.* Justitiam *v. 10.* Iudicium *v. 11.* *ὁδηγητικόν* res-  
pectu Apostolorum *v. 12, 13.* *δοξαστικόν* intuitu Christi *v. 14, 15.* 2. à tem-  
poris, sub cruce exigendi, brevitate *v. 16.* cui subjicitur *ἀπορία* Di-  
scipulorum *v. 17, 18.* à Christo repetita *v. 19.* & declarata vicissitudi-  
ne luctus & gaudii *v. 20.* quæ illustratur simili parturientis, cujus  
*πνευματικὴ* *v. 21.* *ἀπόδοσις* *v. 22.* 3. à pleniori verborum Salvatoris co-  
gnitione, & 4. ab indubia precum exauditione *v. 23.* de quibus alter-  
natim agit conferendo statum Apostolorum præsentem ratione u-  
triusque *v. 24, 25.* precum potissimùm *v. 26.* quæ pondus habent a-  
pud Deum ob reciprocum amorem & fidem *v. 27.* cujus objectum,  
A 2 Christi



Christi passio & resurrectio v. 28. hæc excipit Discipulorum Confessio de Domini *παρρησία* v. 29. omniscientiâ v. 30. Christi monitum de fide ipsorum paulò post deliquium pasfurâ v. 31, 32. III. *Perorationem* v. 33.

v. 1. III. *ταῦτα λελάληκα ὑμῖν*. Ut animum advertant Discipuli, & quid ipsos velit, accuratiùs expendant, verba hæc Salvator noster subinde ingeminat, iisque causam annectit, quamobrem de statu, qui eos maneret, vaticinium ediderit. De pronomine *ταῦτα*, quo respectum habeat, inter omnes non convenit. *Beda in Homil. Domin. Exaudi, & Musculus, notante Marorato in Comm. b. l.* ad subsequenta referunt, ac proin enallagen hîc præteriti, *λελάληκα*, in præsens, Græcis non minùs ac Hebræis usitatam, locum habere content. Quæ mutatio sine urgente necessitate non admittenda videtur. Alii, ut *Maldonatus* refert *in Comm. b. l.* secus statuunt referendo illud ad prædictionem Christi *Matth. XXVI, 31. Marc. XIV, 27.* à Johanne prætermittam: cui reclamationis loci & temporis circumstantia, cum hæc à Christo exposita fuerit in ipso ad montem oliveti egressu, prout *ex l. c.* constat: illa verò, quam Evangelista recenset, in cœnaculo antequam se inviam dedissent, uti *ex c. XIIX. v. 1.* satis liquido adparet. Sunt prætereà, qui adventum Spiritus S. *cap. præc. XV, 26.* promissum indigitari existimant, ut *Augustin. tract. 93. in Johann.* cum quo facit *Euthymius in b. l.* Veritati magis consentaneum est, Christum respicere ad odium, quo Mundus Apostolos habiturus erat, plusquam Vatinianum, de quo ipsi paulò ante sermo fuerat, ut sensus sis: non potui quin vos meos, quos scio magnam rerum potiundi spem tenere, de persecutionibus, à Mundo perferendis, certiores facerem, ne si omnis generis mala præter opinionem ingruant, offendamini. Hujus sententiæ autores citare possumus, *Chrysostom. Theophyl. in b. l. Cyrill. l. 10. in Johan. c. 34.* præterquam, quod hæc ad doctrinam in duræ cervicis Judæis (quorum obstinationem Christus modò taxaverat) tempore prædicationis effectu frustratam infirmul revocant.

IV. *σκανδαλίσει*, si ad ejus incunabula imus, idem notat, ac ad lapidem, aut aliud id genus, quod gressus moratur & claudicationem affert offendere. Natales enim *τῷ σκάζειν*, quod est vitio cruris aut femoris non æquis passibus incedere; unde originem trahit  
nomen



nomen Sacris Literis, ex *Stephani* observatione, peculiare σκάνδα-  
 λον, cujus nativam significationem Grammaticorum nonnulli eam  
 volunt, quæ est σκάνδαλήθρῃ, ita ut denotet lignum decipulæ incur-  
 vum, cui alligari solet esca, quò animal eam arrodens, decipulam  
 in se su bitâ ruinâ evertat. Quòd si ortum ejus spectamus, est ob-  
 staculûm pedû m, quod in via insidiosè ponitur, ut, qui illâc transe-  
 unt, in id impingant. Nam ut ex dictis patet, *Erasmus teste in Hie-  
 ron. l. 2. adversus Pelag.* Scandalum inde dicitur, quòd cogat claudi-  
 care. LXX. Interpretes utrumque videntur exprimere dum ὑριω  
 & ἠΨω L *Levit. XIX, 14.* per illud efferunt. Confer *Jos XXIII, 13*  
*Judic. VIII, 27. Jes. LVII, 14. Judith. V, 1. Origen. super cap. 9. ad Ro-  
 man.*

V. In Scripturis aliàs ut plurimùm Metaphoricè acceptum le-  
 gitur, de quo *Basil. M. lib. 2 de Baptism.* σκάνδαλον ὄψιν, ὡς ἐγὼ λογίζο-  
 μαι ἐκ τῶν γεγραμμένων ὁδηγόμενοι, πᾶν τὸ ἦτοι εἰς ἀποστασίαν τινὰ  
 τῆς κατ' Ὀσείαν ἀληθείας ἄγον, ἢ πρόσκλησιν τῆς πλάνης ἐμποῖον, ἢ  
 οἰκοδομῆν εἰς ἀσέειαν, ἢ καθόλου πᾶν τὸ κωλύον τῆ ἐντολῆ τῆ θεῶ ὑπα-  
 κέειν μέχρι καὶ αὐτὰ τὰ θανάτου. Hinc, ut ὡς ἐν παρόδῳ hæc attinga-  
 mus, varias differentias fortitur. Aliud enim est *Activum*, aliud  
*Passivum* *Matth. XII, 6, 7. Marc. IX, 42. Luc. XVII, 2.* utrumq; vel *ad  
 intra*, quando stimulos carnis sentimus, eiq; morem gerimus *Matth.  
 V, 29, 30. cap. XII, 8, 9. Marc. IX, 93. ad Rom. VI, 12. cap VII, 5, 8. seqq.*  
*contra Thomam 2. secunde qv. 43. artic. 1. respons. ad 1. arg* vel *ad extra*  
 cum perversè docendi, aut malè agendi exemplo alios trahimus,  
 quo respectu Græcis Scandalum est ἀστροφή πρὸς τὴν ἀλήθειαν, &  
*Chrysostomo* rectæ ac probæ vitæ confusio atque perversio, *Homil. 60.  
 in cap. 18. Matth.* Causam v. Scandali nullo modo penes Deum, quip-  
 pe omnis boni fontem, residere contra *Piscat. in not. ad amic collat.  
 Vorstii. sect. 60, 80, 138.* & ejus sectæ alios, vel ex hac benivola Christi  
 dehortatione liquet. Si enim Stoica necessitate, h. e. ex mente  
*Calvinistarum*, ad simplicem & irresistibiliter efficacem Dei volunta-  
 tem evenirent, frustra discipulos haberet Salvator, cum non sit ipso-  
 rum arbitrii, quæ in fati sunt effugere. Satanæ vis, quâ nos adori-  
 tur in causa est, cui mundus operam suam locat. Horum intuitu  
 necesse est venire scandala, *Matth. XVIII, 7.* non absolutè scil: sed  
 κατ' ὑπόθεσιν, εἰάν τὸ ὑποκείμενον εἴη, ut ex antica pugnanti senten-



riæ diffusus fatetur *Aretius super b. l. c.* Aliis, quæ Scandalo sunt & pro  
diversitate objectorum multum variant, ne extra oleas vagari videa-  
mur, superfedemus. Illud tamen, cum huc faciat, taciti præterire  
non possumus, quod causæ Scandali propinquæ *aliæ sint per se*, ut  
malorum commissio ad *Galat. V, 11. Apocal. II, 13, 14.* bonorum omis-  
sio, *Jerem. XLIX, 10. Ezech. XXXIII, 7. aliæ per accidens*, ut res in se  
bonæ *Luc. II, 34. II. ad Corint. II, 16. & adiaphoræ ad Rom. XIV, 21. I. ad  
Corinth. IIX, 13.* Inde trita in *Datum & Acceptum* Scandali *Passivi* di-  
visio enascitur: quorum *illud* causam sui per se agnoscit; *hoc* verò  
causam per accidens, estq; *vel ex infirmitate, ac imbecillum dicitur  
Matth. XXVI, 31. I. ad Corint. IIX, 7. vel ex malignitate & Pharisai-  
cum appellatur Matth. XIII, 56. I. ad Corint. I, 23.* Sed hæc latius for-  
san, quam hîc loci par erat. Plura de his cognoscere, si volupe est,  
adîs Thomam *loco superius laudato. D. Fewrborn. Fascic. V. Disput. 4.  
& 5.*

VI. Contra quæ munitos velit Salvator Apostolos, cognitum  
habere in proclivi est. Fallax illa de regno mundano & primis in eo  
subfelliis occupandis opinio in animis eorum infidebat *Matth. XX,  
21. Luc. XXI, 24.* cujus evellendæ ergò Christus verba hæc fecerat,  
ne, adversâ fortunâ ex improvîso ipsos invadente, hastam abjicerent  
& stationem suam desererent; cum subitæ calamitatum incursiones  
tam validæ non rarò, ut etiam fortissimum loco moveant. Senu  
non absimili *Magnus, τὸν ἐν ἀγίοις, Gerhardus* mentem Salvatoris  
elegantè exprimit: Monstravi nobis hosce, velut in mari, hujus  
Mundi scopulos, ut illos tutò prætervehere possitis, nec quoddam  
salutis naufragium faciatis. *Part. 3. Harmon. Evangel. cap. 178.  
pag. 985.*

2. 2. VII. Expositis in genere odiis, quibus Mundum adversus A-  
postolos exarsurum prædixerat, duos persecutionum gradus Salva-  
tor subjungit, quorum *alter* Ecclesiasticus ignominia est & calu-  
mnia: *alter* Politicus pœnæ & supplicii. Prior his verbis innuitur  
*ἀποσυναγωγῆς ποιήσων ὑμᾶς* *Erasm.* alienos à Synagogis vos fa-  
cient. *Beza:* Movebunt vos Synagogis. *Vulgata* minus Latine: abs-  
que Synagogis vos facient. *Lutherus* optime: Sie werden euch in den  
Bann thun. *Vox συναγωγῆς ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Gerhard.  
Tom. V. de Eccles. cap. 1.* non tantum de congregatione populi Judaici,  
*Exod.*



Exod. XVI, 3. Levit. XIV, 3. sed & Christianorum, Jacob II, 2, usurpatur. Casaub. Exercit. 16. c. 42. ad annal. Baron. contra Bellarm. l. 2. de Eccles. milit. cap. 1. potissimum tamen, ut Actor. XV, 21. & alibi passim μεσσηνομακως accipitur pro locis in quibus singulis Sabbathis unam è 52 Pentatevchi lectionibus כַּרְרָה dictam: nec non pericopen è Prophetis sectioni homogeneam, הַבְּטָרָה appellatam, qui lectioni præerant, Scribæ recitabant. Cic. Parit. Codic. Hebr. cap. 8. 9. 10. Drus. l. 2. de trib. sectis Judeorum cap. 13. Hujusmodi quasi ἀνεργαῖα in omnibus ferè civitatibus Israëlitarum extracta erant: magno præsertim numero Hierosolymis Act. VI, 9. inter quæ illud, quod templo finitimum erat, ejusq; ambitu exteriori inclusum, eminebat, ac ipsius quandoque templi, Luc. II, 46. aut καὶ ἐξοχλῶ Synagogæ nomine veniebat, Johan. XIX, 20.

II X. Inde ortum ducit ἀποσυνάγωγον ποιεῖν fulmine anathematis percutere: cujus tres cum primis species, apud Judæos in usu fuisse perhibentur. Primam vocârunt כַּרְרָה quâ quis pro delicti ratione à conventibus Sacris, forensibus & domesticis ad quatuor usque cubitos arcebatur, & si absque pœnitentiâ è vita cesserat, feretro ejus, ut lapidatione digni, lapis injiciebatur, nec luctu solemni cœmeterio inferebatur. Secunda ipsis fuit כַּרְרָה quâ quis in totius Ecclesiæ conspectu è cœtu Sacro aliisq; congressibus omninò ejiciebatur, ubi coactis Antistitibus candelæ accensæ ad recitatas pro more maledictiones subito extinguebantur, quòd anathemati subjectus luce jam cœlesti privatus tenebrisque infernalibus adjudicatus sit. Tertia נִשְׁמַתָּה q̄s. מִיתָה שֵׁשׁ ibi mors: quòd nihil ejusmodi sit homini aliud expectandum, quàm mors æterna & supplicium interminabile; aliis ob frequentem ejus usum ex שֵׁשׁ quod Rabbini usitatisimè pro nomine ἀνεκφωνήτω היה dicunt, & נִשְׁמַתָּה coaluisse videtur, ejusdemque naturæ esse cum מִיתָה מֶרְךָ Dominus venit I. ad Corinb. XVI, 22. quibus verbis, ut Tremellius ad b. l. habet, prisca Ecclesia docuit se omnibus officii partibus erga virum ejusmodi perfunctam esse: deinceps ab eo de communi consilio abstinere, eumque ut deploratæ inter homines spei, judicio atq; adventui Dei permittere. Hæc enim ut summa & gravissima Excommunicationis specie omnibus humanæ societatis juribus, legibus, officiis & commerciis exclusus judicio divino destinabatur. Et hæc ex mente

Drusii



Drusii libr. 4. praterit. ad v. 22. cap. 9. Johann. & libr. 6. ad v. 3. cap. 9. Epist. ad Rom. v. 22. cap. 16. prior. ad Corinth. Buxtorf. in instit. Epistol. pag. 55. Ludov. Cappell. in Spicileg. pag. 65. & Diatrib. de voto Jephthæ pag. 173. Dilher. in Electis lib. 2. cap. 9. Schindler: in Lexic. sub R. מִן־פֶּה pag. 655. Calculum hic subtrahit in diversum abeundo Seldenus, qui ex fide Comment. Talmudic. primam & tertiam speciem pro una habet, & quanquam מִן־פֶּה non raro in corpore Talmud. Excommunicationem notet, nihilominus tamen, in ipsa tum forense tum extra forum solemnem Excommunicationem non nisi מִן־פֶּה ut magis proprium ac receptum in usu fuisse adserit l. 4. de Jur. Nat. & Gent. juxta Disciplin. Hebr. c. 8. p. 514, 515.

IX. Nullam harum Apostolis non obtigisse, ex infenso Judæorum animo, quo in ipsos ibant, suspicari pronum est: cui fidem faciunt Actor. V, 40 cap. VII, 59. I. ad Corinth. IV, 19. & alia Scripturæ loca. Sed in casum: non secus ac si Papa brutum anathematis fulmen torquet ac velut è pelvi fulgura mittit. In metu equidem ponenda est ligans Ecclesiæ veræ potestas, quam à Salvatore Job. XX, 23. traditam in hæreticos & profligatos homines exercet per Excommunicationem vel publicam, quâ impœnitentes & increduli ex lege iræ Dei & æternæ damnationi adjudicantur: vel privatam, quâ in specie alicui præfractè facinoroso peccatorum retertio denunciatur; & hanc aut majorem, ἀφορισμὸν appellatam, aut minorem, καὶ διαίρεσιν dici solitam: quarum illa ex Ecclesiæ communione proscriptio est; hæc verò ab usu cœnæ Dominicæ suspensio. Gerhard. Tom. VI. de Minister. Eccles. cap. 1. sect. 1. Chemnit. in Exam. Concil. Trid. part. IV. cap. 3. argum. 2. At, quæ ab Hypocritica in infantes decernitur, adeò timenda non est, ut etiam in bonis ducenda sit. Contra Gregor. de Valent. Tom. IV. Disput. 7. qv. 17. punct. 1.

X. Posterior persecutionum gradus de ipsa morte Apostolis subeunda cum priori connectitur mediante ἀλλὰ, de quo Interpretes multum variant. Augustinus & Beda per adversativam Sed cum vulgata exponunt. Tremellius Syrum imitatus, per copulat. ἢ quæ, sicut partic: καὶ Matth. I, 25. Joban. V, 40. adversativæ loco est Genes. XLII, 10. Exod. XIV, 18. Maldonatus τῶ γὰρ æquipollere vult, idq; exemplo LXX Seniorum ductus, qui Hebr. וְ vim adversativæ habens 1. Samuel. VI, 3. & alibi sæpius per ὁν reddunt. Heinsio in Aristarch. cap. 26.



cap. 26. ut Hebr.  $\text{יִזְכֶּנ}$  ex Job. XXXII, 8. validè adfirmat. Cyrillo, Theophylacto, Euthymio, Beza & aliis ἀυξήσεως nota est, cui respondeat  $\text{ἐμὸ}$ , quin etiam Matth. V, 39. II. ad Cor. VII, 11. His & nos pollicè premimus Adfurgit enim oratio ab Excommunicatione ad occisionem, quam Salvator exaggerat 1. à temporis propinquitate:  $\text{ἔρχεται ὥρα ἵνα ἴστα τῆρος}$ , h. e. ex enallage futuri, eventus horum non longè abest. 2. à persecutorum diversitate:  $\text{ἵνα πᾶς cūm omnis}$ , non tantum Judæus, ut Jansenius & Barradius cum Augustin tractat. 98. in Johan. existimant; sed vel maximè Ethnicus sacrificii vim in cæde vestra positam arbitretur. 3. à supplicii gravitate:  $\text{ὁ δὲ ποιήσειας ὑμᾶς}$ , qui trucidarit vos vel cervicem amputando vel in crucem agendo, aut alio mortis genere crudeli è medio sustulerit. 4. demum à judicii pravitate:  $\text{δόξη λατρείας πρὸς Φέρειν θεῷ}$ , sibi videatur hostiam offerre DEO. Sicuti enim perhibito ab aliis innocentiae testimonio morte multari solatium adfert: ita ob grande nefas & morte piandum ex opinione hominum capite plecti dolorem auget.

XI.  $\text{λατρεία}$  propriè, Suida Interprete, est ἡ ἐπὶ μισθῷ δολεία servitium, quod mercede conducti præstant: unde stipendia facientes olim milites Latrones dicti fuerunt &  $\text{λάτρειον μισθόν}$  quod famulis pro navata opera penditur. Sacris Scriptoribus est quicquid fit in honorem & cultum Dei. Casaub. Exercit. 16. cap. 57. ita tamen, ut præter Deum etiam aliis commune sit, Levit. XXIII, 7. Deuteron. XXIX, 48 A vero namq; abest *Papicolarum* differentia, quam fingunt inter  $\text{λατρείαν}$  soli Deo competentem &  $\text{δολείαν}$ , qui cælo degunt, Sanctis exhibendam; quod LXX abundè testatum faciunt, alterutro de vero Dei cultu promiscuè utentes. Exod. IV, 23. Deut. VI, 13. I. Samuel. VII, 3. Nehem. IX, 35. & aliis plus centum locis. Hinc Nonni  $\text{πρὸς Θεοῖς}$ :

$\text{δολοσιώλω ἔλποιο θεῷ φιλέοντι τελέοσαι}$ , ad quam Casaubon. in Johan. notat:  $\text{λατρείαν}$  interpretari non dubitavit  $\text{δολοσιώλω}$ . &  $\text{δῶλον capit. sequent. λάτρειν}$ . Nondum enim emerferant acuti isti Grammatici, qui docent nos,  $\text{λατρεία}$  Deo,  $\text{δολοσιώλω}$  Angelis convenire, quæ putidæ nugæ flagris & fustuario, non verbis & disputatione refutari merentur. Et Laurent. Valla, stans alioquin à partibus Romanensium, fusè probat, nihil interesse inter  $\text{δολεύειν}$  &  $\text{λατρεύειν}$ . Contra Bellarm. lib. 1. de Sanct. Beat. c. 11,



12, 13. Hoc in loco, quod Syrus animadvertit, holocaustum, denderare videtur, quemadmodum apud Hebræos  $\text{קרבן}$   $\text{λατρεύειν}$  sæpe usurpatur pro  $\text{קרבן}$   $\text{θύειν}$ , *Exod.* II, 6. & 21. eamque ob causam cum  $\text{προσφέρειν}$  constructum esse, quod perinde ac Hebr.  $\text{קריב}$  de victimis, quæ in altari Deo sistebantur, accipi solet. *Ludov. de Diev in Comment. h. l.* Et hoc est, de quo Paulus I. *ad Corinth.* IV, 18. conqueritur:  $\text{ὡς καὶ θάρματα τῶν κόσμων ἐξηγήθημεν}$ , quæ, ut *Stephanus* observat, homines erant facinorosi, qui pro patriæ lustratione & expiatione diris execrationibus obruti magno cum totius populi tripudio internecioni dabantur. Vid. *Tertull. in Apolog. cap. 2. de Gentilib.*

v. 3.

XII. Rationem tam immanis odii & horrendæ crudelitatis supeditat Salvator:  $\text{ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα, ἔδὲ ἐμέ}$ . Ignorantiam scil. Dei, quâ laborabant *Gentiles quidem καὶ ἀπόφασιν*: non tamen quantum ad notitiam *naturalem*  $\text{ἐν τῷ ἔμφυτον}$ , quâ *κοινὰ ἐννοία*, velut scintillæ claræ istius lucis, quæ pleno jubare ante lapsam in mente hominis fulsit, residua adparent; *τὴν ἀπικτητον*, quæ ex contemplatione operum Dei vi naturalis *ἀγνοίας* colligitur, *Job.* XII, 7. *Actor.* XVII, 27. *ad Rom.* I, 19. Contra Socin. *in prælect. cap. 2.* *Ostorod. Instit. cap. 1.* Sed quantum ad *revelatam*, cujus ratione Ethnicis  $\text{θεοῦ ἀγνοσία}$  tribuitur *Sapient.* XIII, 1. *Judei verò κατὰ ἀγάθην*. Quamquam enim ex verbi patefactione cognitionem Dei ceperant, eum tamen non ut Patrem agnoverunt, qui Filium sibi  $\text{ὁμοῦσιν}$  ab æterno genuit: nec ut Filium  $\text{θεοῦ ἀνθρώπων}$ , qui Deus ante secula natus, pro amore, quo cum Patre lapsam genus humanum complexus est, in tempore carnem induit ac salutem in desperatis positam recuperavit. Cùm autem Christus persecutiones suorum ad ignorantiam Dei, tanquam ad caput & originem rejicit, cæteras tantæ impietatis causas non excludit, sed potius unâ omnes, quotquot tandem sunt, involvit. Nam sicuti secundum Scripturæ stylum  $\text{θεογονσία}$  suo ambitu omne Christiani officium ejusque virtutes comprehendit, *Sapient.* XV, 3. *Joban.* XVII, 3. ita ex adverso Ignorantia Dei totam scelerum catervam secum ducit.

v. 4.

XIII. Quam per  $\text{ἀρσιν}$  generalis suæ prædictionis causam v. 1. dederat Salvator, eam hîc ad specialem per  $\text{θεοῦ}$  repetit:  $\text{ἵνα ὅταν ἔλθῃ ἡ ἡμέρα, μνησεν ὑμῶν, ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν}$ . Ubi non est, quod cum

Augu-



*Augustin. & Beda* pronom. Eorum ad horam trajiciamus, cum in-  
variata Codicum lectio refragetur & emphasis articuli id respuat.  
Sub eo n. jam delitescit, unde Syri expositio **כְּמֵתָם נִתְּנָה עֲדָתָם**  
**וְכֵן** **וְכֵן** ut, cum venerit tempus eorum, memores si-  
tis eorum. Nec quidquam incommodat **ἐὸν**, quod, licet ut pluri-  
mum *αἰώνος* acceptum legatur: hanc tamen *εἰδῶς* sumi, & vices re-  
lativi supplere, multis placet. Sed neque hoc opus esse videtur. Opti-  
mè quadrat per *quòd* redditum. Ea enim Salvatoris nostri mens est,  
ut Discipuli non nudè saltim recordentur, quæ dixerat, sed ut me-  
mores eorum in mentem sibi revocent, quòd ab ipso dicto fuerint,  
qui pro nobis longè graviora passus sit, qui pro sua sibi omniscien-  
tia futura æquè ac præterita exactè noverit, qui fallere nescius, non  
minùs ac vaticinia eventum nacta sunt, promissa perfecturus sit,  
qui de voluntate sua tantis ipsos calamitatibus premendos sta-  
tuerit.

XIV. Dubio procul tam adversam sibi deinceps fortunam ex  
ore Salvatoris admirati sunt Discipuli, & quòd eorum prædictio-  
nem in illud usque tempus, quo jam abitum parabat, distulerit:  
cui velut tacitæ objectioni occurrunt hæc verba: *ταῦτα δὲ ὑμῖν ἐξ*  
*ἀρχῆς ὁκ εἶπον, ὅτι μετ' ὑμῶν ἦμεν.* De quibus cum *Matth. X, 16 seqq.*  
*Marc. XIII, 9. Luc. XXI, 12, 16.* conciliandis discrepantes sunt Com-  
mentatorum sententiæ. *Quidam* cum *Bucero* cæteros Evangelistas  
per occasionem anticipatione usos fuisse, autumant: ita *Jansen.*  
*cap. 135.* Nonnulli cum *Augustino* *ταῦτα* ad Spiritus S. adventum, aut  
cum *Glossa ordinaria* ad totam hanc valedictoriam concionem refe-  
runt. *Calixt. lib. 6. Concord. cap. 6.* Alii cum *Cyrillo & Euthymio* ἐξ  
*ἀρχῆς* de initio vocationis intelligunt. *Tarnov. in Com. b. l.* Nos ad  
ea referimus, quæ v. 2. extant. Eo enim respectum haberi citra  
dubium est, eorumque nullam unquam mentionem factam, altum  
Scripturæ silentium evincit. Ad flagra quidem Apostolos in Syna-  
gogis rapiendos & morte afficiendos denunciatur Salvator alibi: at ve-  
rò excommunicandos & sub ratione cultus divini trucidandos præ-  
ter *b. l.* nullibi. In promptu causa est, *quia vobiscum eram*; ac si di-  
cat: Datum est hoc infirmitati vestræ. Nunc autem tempus est, ut  
majus robur sumatis, ne sitis sicut pueri, qui semper pendent ab u-  
beribus matris exanimati, si quando contingat è conspectu paren-  
tum avelli. *Ferus in annot. b. l.*









Quò mihi fortunas, si non conceditur uti?  
& quod Jctis frequentatur, quò bonum est, i. e. cui usui est, quam  
ad rem confert, quid utilitatis habet? Scitabantur quidem Discipuli  
terminum ad quem, sed non causam, quamobrem sibi propositum  
haberet Salvator, aliò se conferendi. Hujus autem, non illius, negle-  
ctum à Christo redargui, confirmat v. 7. & seqq. in quibus, non quò  
vaderet: de eo enim, quia ex dictis manifestum erat, uti quæstio,  
ita responsio frustranea fuisset; verùm cui bono abiret, declaratur.  
Hæc verisimilior videtur, Cyrillo lib. 10. cap. 38. B. Luthero Tom. 7. Je-  
nens p. 181. Toletto annotat. 10. Salmeroni Tom. 9. tractat. 66. quibus &  
nos calculum addimus.

XVII. Qui omnem ægritudinem Discipulis adimere debuisset,  
salutaris Christi Abitus summo mœrori occasione est adeò, ut præ-  
tristitia excessum mentis passi videantur. Theophyl. in b. l. quod ex  
verbis: ἡ λύπη πεμπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν satis claret. Sicut  
enim πληρῶς χαρῆς ἄτορ, XIII, 52. τὴν ἡδονὴν κλησεί II. Corinth VII,  
4. solidè gaudere & solatio abundare notat; ita è contra mœstitia  
impleri idem est ac ingenti dolore obrui. Eos autem animis conste-  
nari, mirum non erat, quoniam in jucundam Christi conversatio-  
nem unice defixi ab ejus visibili præsentia toti pendebant.

XIIX. Ut animis adsint & timorem omittant Discipuli, Abi-  
tum, quem temerè in metu habebant, è re ipsorum fore ostendit  
Salvator: idque tum in genere, tum in specie. Generatim quidem ad-  
severatione addita: ἀλλ' ἐγὼ ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν, συμΦέρει ὑμῖν, ἵνα  
ἐγὼ ἀπέλθω. Chrysostomus partic: ἀλλὰ cum proximè sequentibus  
connectit, ut hic sensus emergat: licet mirum in modum contriste-  
mini, dicam tamen, quod res est. Commodius cum συμΦέρει cohae-  
ret, & quæ interjacent, velut in parenthesi posita, Luc. XIII, 24. so-  
lemnis adserendi formulæ: Amen dico vobis, vim habere dicuntur;  
sicuti Arabs b. l. ἀλήθειαν & alibi ἰδὼν una eademq; voce πῆλιν de-  
clarat. Verbo συμΦέρειν Salvator insignes passionis suæ usus inclu-  
dit, quos præstat quoad effectus tum privativos, ut sunt liberatio à  
peccatis non tantum originali, sed etiam actuali, Psal. CXXX, 8. ad  
Tit. II, 14. I. Johan. I, 8. contra Thomam de Sacram. Altar. cap. 1. Gre-  
gor. de Valentia lib. 2. de Missa. cap. 2. ab utriusque & culpa & pœna  
tam temporali quam æterna Esa. LIII, 5. ad Roman. V, 9. Galat. III, 13.



contra Ruard. Tapperum in *Explicat. Artic. 6. Lovaniens.* Andr. Vega  
*lib. 13. in Concil. Trident. cap. 36.* Bellarm. *lib. de Pœnit. cap. 1. tùm positi-*  
*vos, quales sunt cum Deo reconciliatio ad Rom. V. 10. Justitia Dan. IX,*  
*24. ad Rom. III, 25. Salus æterna, ad Hebr. X, 18. Contra Socin. de Ju-*  
*stific. p. 11. Smalc. de Satisfact. pag. 155. advers. Franz. pag. 105. Ostorod.*  
*Instit. German. cap. 36. pag. 300. Cæterùm notatu dignum, quòd addi-*  
*tur úm̄iv, Expedi vobis. Non enim sui quoq; gratiã Christus mortem*  
*perpesus est, contra Lombard. lib. 3. distinct. 18. Bellarm. lib. 5. de Chri-*  
*sto Mediat. cap. 9. Socin. lib. de Servatore. pag. 121. nec eã quicquam an-*  
*gelis promeruit, contra Suarez. Tom. I. Disput. 42. pag. 655. & seqq. Sed*  
*lapis hominibus salutem amisam restituit, iisq; ratione acquisitio-*  
*nis meritoria omnibus, ne incredulis exceptis, Matth. XVIII, 11. Jo-*  
*han. III, 17. ratione autem actualis possessionis æternæ tantùm fina-*  
*liter credentibus, contra Bezam in Colloq. Mompelg p. 514. edit. Tubing.*  
*An. 94. Zanchium lib. 3. de Nat. Dei. c. 4. th. 2.*

XIX. *Speciatim* verò inter cæteras Abitus sui utilitates Spiritus  
S. adventum exponit Christus, partim, quia eo maximè indigi erant  
Apostoli: partim quia quicquid est beneficiorum cœlestium secum  
adfert. Eum autem, ut etiam Evangelista moris habet, *c. 1, 20. I. E-*  
*pist. c. IV, 2, 3. negativa & affirmativa enunciatione adstruit Salvator:*  
*εάν γδ μή ἀπέλθω, ὁ παράκλητος ὁσὶν ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς εἰάν ᾗ πο-*  
*ρευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς. Spiritum S. Paraclēti nomine veni-*  
*re apud omnes in confesso est: utrum verò per Consolatorem magis,*  
*an Advocatum id reddi conveniat, sunt qui ambigant. Barradio Tom.*  
*ult. lib. 4. c. 4. nec minus Maldonato in c. 14. Johann. metus est, ne di-*  
*gnitati Spiritus S. aliquid decedat, si Patronus statuatur, quia cau-*  
*sam clientis agere sit minoris apud majorem. Sed frustra omninò.*  
*Nostri enim patrociniū suscipit non ἀνθρώπινως ἢ δαλινῶς huma-*  
*no more se dejiciendo, sed θεϊκῶς ἢ θεοπεπῶς pro majestate, quæ*  
*ipsi cum Patre & Filio eadem est; vel, ut Gregor. Homil. 30. in Evangel.*  
*tradit, Spiritus S. ideò Advocatus dicitur, quia pro errore delinquenti-*  
*um apud justitiam Patris intercedit, dum eos, quos replevit, exorantes fa-*  
*cit, Adde: d̄ im iis advocacionem præstat & causam ipsorum fideliter*  
*agit. Fewborn. part. 3. Syntagm. Disfert. 3. Consolator autem, quia, de*  
*peccati perpetracione mœrentibus dum spem veniæ preparat, ab afflictione*  
*tristitia mentem levat. Utrumque seu usum vocis seu applicationem*  
ejus



eius spectemus, apprimè quadrat. Quod usum attinet, *Ulpiano in Demosth. Orat. ωει ωδπαρεσβ.* Paracletus est οει ωδπαλησεως ειλτων σωηγρησαι: quo significatu occurrit, *Rom. XII, 8.* Sic cognatum eius ωδπαλητορα LXX pro ωδπαλητορα usurpant *Job. XVI, 2.* & λογος ωδπαλητιδος pro sermonibus consolatione plenis *Zach. I, 13.* Inde *Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. cap. 3.* ωδπαληθλωαι & consolationem accipere significat, & advocatum esse. Applicationem monstrat ipsa Scriptura quoad officium consolatorium *Actor. IX, 31.* Advocatorium *ad Rom. II, 26.* Hic loci de utroque commoda est expositio. Qua de causa Syrus & Arabs nomen Paracleti retinuerunt: sicut Veteres Hebr. ברקיהו quod observat *Drusus libr. 4. prater. in cap. 14. Johan.*

XX. ερχεσθω sano sensu accipiendum est, non de locali quadam Spiritus S. migratione: est enim infinitus & immensus Deus, totum terrarum orbem complens *Psal. CXXXIX, 7. Sapient. I, 7.* sed gratiosa ipsius, substantialiter ubique presentis, approximatione. *D. Fevrborn. Fasc. 2. Disput. 3. th 39.* Par esto iudicium de πειπεισθω, quod non est ad functionem obeundam ablegari, ut *Luc. XII, 10.* aut loco moveri, quo pacto quis aliò missus definit ei adesse, à quo ablegatur, & alii presentis sit. *Matth. XI, 2.* sed ex decreto Patris novo adessendi modo sui presentiam testari vel visibiliter *Actor. II, 3.* vel invisibiliter *ad Galat. IV, 6.* Nec enim ita promittitur Spiritus S. ac si jam non adsit, aut quod cum Christo locus ipsi permutandus sit: verum, quòd singulari gratiæ efficacia, *Actor. X, 44.* & donorum largitione *ibid. cap. XIX, 6.* specialiter presentis futurus sit. Confer *D. Gerhard. Tom. I. LL. de Spir. S. thes. 37, 38. D. Fevrborn. κενωσις sect. 7. cap. 3. pag 52.*

XXI. Difficultas hic non levis oritur, quò Spiritus S. nisi Christo decedente venire non potuerit? *Rupertus in b. l.* idè non fuisse conveniens, inquit, ut Paracletus veniret, quia Christo nondum mortuo consolationis materia defuerit. Quod tamen ita nude & simpliciter positum cum *Maldonato* adprobare non possumus. *Augustinus tractat. 94. in Johan.* in causa fuisse censet Discipulorum carnalem affectum *II. ad Corinth. V, 15.* quo non dignam de Christo estimationem habebant, nec Spiritus S. capaces fieri poterant. Ita *Bernbard. Sermon. 6. de Adscens. Domin. & Dionys. Carthus. in b. l. Ascensum*



sensum verborum non exhauriunt. Plerique recentiorum *Enthymii* sententiam sequuntur, Spiritum S. non absolutè, sed posito Divinæ providentiæ decreto, venire non potuisse. Sic enim statutum à Deo, ut quævis Trinitatis persona procurandæ salutis hominum operaretur: Pater Filium mittendo: Filius homines redimendo: Spiritus S. varia dona conferendo: suas cuique vices fuisse, suum cuique tempus, suam quamque personam egisse, ex Pontific. *Maldonatus*, *Barradius*, *Menochius*, *Adam Cõnzen*, *Eman. Sà in b. l.* è Nostratibus *D. Tarnov. quest. 3. ad b. l. Calixtus l. 6. cap. 6. Concord.* Piè satis & commodè: cui tamen *Theophylacti* & *Chrysostomi* expositio addenda videtur, peccatis viam ad nos quasi oblitam fuisse, quibus interventu Satisfactionis Christi non remotis aditus Spiritui S. non patuerit. *B. Luther. Tom. 7. Jenens. Hunnius Comment. b. l. Gerhard. Harm. cap. 179. pag. 1051. & seqq. Salmeron Tom. 9. tractat. 67.*

v. 8.

XXII. Posthæc describitur Spiritus S. officium, quo per Apostolos respectu Mundi functurus sit, ἐν τῷ ἐλέγχειν πρὸς ἀμαρτίας καὶ πρὸς δικαιοσύνης καὶ πρὸς κρείσσεως. *Mundum* hic non tantum Judæos, ut *Piscatori ad b. l.* videtur; sed omnes in universum homines sibi relictos denotare, fatentur *Gualtherus*, *Marloratus*, *Tosfanus*, *Aretius in b. l.* nec ulli forsan de eo dubium esse poterit. ἐλέγχειν duo præcipuè significat: *Primò* quidem arguere, increpare, corripere non solum verbaliter *Matth. XIX, 15. Luc. III, 19. I. ad Timoth. V, 20.* verum & realiter *Job. V, 17. Psal. VI, 1. ad Hebr. XII, 5.* deinde (quod Etymologus intendit, cum ἐλέγχειν ἐκ ἐλλω ἔχειν derivat,) tam apertis rationibus convincere, reum agere, ut nihil reponi possit, *ad Ephes. V, 13. Tit. I, 9.* quod v. II. per ὀπισθομίζειν declaratur. Unde *Aristoteli de Sophist. Elench. cap. 5.* ἐλέγχειν ἔστι ἀντίφασις τῶ ἀληθῆ καὶ ἐνός, κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ, καὶ ὡσαύτως καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ: quæ omnes elaborandi rimas adversario præcludimus, ut digitum tollere & vietas dare manus cogatur. Et hanc posteriorem significationem omnes ferè, quod sciam, *b. l.* accommodant. Nos alteram alteri subordinamus: non tamen ita, ut cum *Maldonato* priori v. 9. posteriori autem v. 10. & II. locum esse arbitremur, qualis variatio in Scripturis non infrequens *Matth. II, 22. Joh. I, 10. cap. IV, 14.* sed, quod sequentia dabunt, utramque simul per omnia valere, aut memimus. Sic *Augustinus: Arguere mundum est ostendere illi, verum esse, que credo.*





credere noluit, ut propterea à merito sit reprehensione dignus. lib. 22 N. T.  
quæst 89.

XXIII. Qua ratione autem Spiritus S. circa tria Elenchtici officii objecta versetur, singulatim exponit Salvator. *Primò* quidem de Peccato, ὅτι ἔπιστευον εἰς ἐμέ. C. Marius Victorinus lib. 4. *Advers Arium*. Piscat. in b. l. Polanus lib. 6. *Syntagm. Theol. c. 34.* quod Christum crucifigendo commiserunt Judæi, peccatum intelligi, probant ex complemento *Actor. II, 23.* quò sine dubio *Beza* respicit, quando cum Vulgata è 25 manuscriptis (quæ præter impresfos codices, se ad manus habuisse in præfat. testatur) unico exemplari motus legit: ὅτι ἔδκ ἔπιστευσαν, in annotat. major. ad b. l. Sed nimis arctè. *Augustinus, Beda, Chrysostomus* paulò latiùs sumunt pro ἀπιστία: unde partic: ὅτι non ἀιτιολογικῶς, sed specificativè exprimunt in hunc sensum: convincet de peccato, quòd vel quò non credunt in me. Hujus sententiæ est *B. Lutherus* & alii. Quæ cum fidei omninò & textui quodammodò analogà sit, improbari nequit. *Cyrillus* peccatum hîc ἁμαρτωλῶς & ὅτι causaliter accipit: quem applausum mereri cum *Toletio, Maldonato, Menochio, Tirino, Conzen, Eman. Sà & aliis bene multis* censemus. Ea enim haud dubiè Salvatoris mens est: cùm venerit Spiritus S. accusabit Mundum peccati tùm suâ sibi, tùm protoplastorum culpâ cōtracti, à quo cùm se immunem esse, aut propriis viribus liberari posse contendet, ducto ab infidelitate argumento eum adeò constringet, ut rei veritate convictus errorem agnoscere cogatur. Majorem hujus Elenchi subjuncta ratione ipsa Scriptura format: *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei, Johan. III, 18.* & alibi passim. Cujus vis, uti liquidò adparet, in Christi merito sita est, quod si vera fide non apprehendatur, nullum peccatum remittitur.

XXIV. Mundum igitur peccatis obnoxium esse, ex defectu fidei, quâ ut causâ organicâ in Justificatione coram Deo ex parte nostri opus est, firmissimè concluditur. Quæ autem fidei justificantis natura sit, ex his Christi verbis præcisa negatione luculenter patet. *Nam τὸ πιστεῦεν εἰς χριστὸν, i. Formalem ejus rationem* designat, quæ est fiducialis apprehensio justitiæ Christi. Sicut enim notante *Mercero in Thesaur. Santis Pagnini, p. 120.* Hebræorum יִמְנֵן cum ך̄ constructum fiduciam habere significat: ita hæc inde ducta phrasîs, N. T.

C

propria,

v. 9.





propria, de *πληροφροεῖα* usurpatur, quā nobis ob admīssa peccata dolentibus Justitiam Christi per Verbum & Sacramenta oblatam ex mera gratia in remissionem peccatorum imputari certò persuasum habemus, *Johan. VI, 47.* & alibi persæpe. Hinc Augustin. *Serm. 61. de Verb. D.* & alii Patres apud Lombard. *lib. 3. Sentent. distinct. 23.* inter *Crederè Deum, Deo, & in Deum* tale discrimen posuerunt, ut hoc fiduciam in Deum collocare, istud fidem ejus promissis habere, illud Deum existentiam verum, Essentiā unum, personis trinum agnoscere dixerint. Quam differentiam in *Johan. XIV, 10, 11, 12.* fundari existimamus cum *B. Balduino in Comm. Epist. ad Rom. cap. 4. quest. 2.* Quamquam autem non negemus secundum cum tertio quoad sensum quandoque apud Græcos & tertium cum secundo apud Hebræos permutari: unde LXX illud *Exod. XIV, 31.* וַיִּאֱמָנוּ בַיהוָה וַיִּשְׁעֻסּוּ אֶבְרָאָם τῷ θεῷ reddiderunt: & Apostolus, quod *Gen. XV, 6.* extat וַיִּשְׁעֻסֶן אַβְרָאָם τῷ θεῷ, ad *Rom. IV, 3. Galat. III, 6.* apud Latinos tamen ex peculiari Linguæ indole singularem quandam Emphasin præ se ferre videntur. II. *Objectum* Fidei Justificantis, quod est Christus. Ubi notandum pro duplici Fidei respectu geminum ejus dari objectum. Ratione quidem notitiæ & adensus, *generale* seu adæquatum, ut est omne verbum Dei: Ratione autem fiduciæ *speciale* seu proprium, ut Christi meritum. Atque hæc fidei justificantis partes materiales sunt: formalis vero ejus ratio prout salvifica dicitur in receptione Christi consistit. Quoad *prius* actum Justificationis Fides non ingreditur, licet ab eo, etiam quā justificat, non rarò describatur, ut *Jes. LIII, 11. Job. VII, 3.* Scriprura enim, ut *Canon* habet, quando de Fide Justificante loquitur, interdum magis ad notitiam, interdum magis ad fiduciam respicit, *Jansen. cap. 32. Harm.* Quoad *posterius* omninò justificat, quia firmè innititur Christi obedientiæ activè & passivè nostri loco præstita eandemque credenti appropriat. *Contra Piseat. Vol. 1. Loc. 15. th. 18. Socin in Prælect. cap. 18.*

210. XXV. *Secundò de Justitia* ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μὲ ἰσάγω. De qua Justitia hic sermo sit, non una omnium est sententia. Didaco de Baëza *Tom. III. lib. 14. cap. 21. §. 9.* Adriano Mangotio *Part. 2. Monit. 95.* infusa est, seu, ut Bellarm. definit, natura nova & divina per modum formæ in anima inhaerens *lib. 1. de Gratia & liber. Arbitr.*

cap. 5.



cap. 5. Huic sententiæ subscribunt *Maldanotus in Comm. b. l. Alast. Conzen*, qui eam ornamentum animæ, donum gratiæ inhærens, peccati expultricem vocat. Ast ipsis commentum placeat, nobis non fit verisimile. *Augustin. Cyrill. Dionys. Carthus.* de Justitia operum, quæ à fidelibus exercetur. Sed hæc nihil ad rem, *Chrysof. Theophyl. Hugo* & alii habitualement Christi Justitiam intelligunt, & cum adjecta ratione ita connectunt: Falsò me injustitiæ Mundum accusasse & præter noxam supplicium de me sumpsisse, testatum faciet Spiritus S. ex abitu meo ad Patrem, qui infallibili argumento est, me integrum vitæ scelerisq; purum fuisse. Cum his sentiunt *Menoch. Eman. Sa, Calixtus in b. l.* Quæ an satis scopum textus, non abs re dubium est. *Toletus, Marloratus, Aretius, Tarnovius in b. l.* acquisitam Christi justitiam volunt. Verum enim verò longè commodiùs de falsò credita Mundi justitia exponunt *Tirinus Tom. 3. Commentar. Cornelius à Lapide, Ferus, Flacius, Hunnius, Pelargus in b. l.* Judæi enim justitiam legis jactitabant: Gentiles eam, quæ in conformitate affectuum cum recta ratione consistit. Suam utrique pugnacissimè defendebant, ut ne transversum, quod ajunt, digitum ab ea se dimoveri paterentur. Summè igitur necessarium erat, ut erronea hæc ipsorum sententia vanitatis argueretur: quod Spiritus S. egregiè præstat, dum à positione justitiæ Christi ad remotionem propriæ & imaginariæ argumentatur. Nam abitu Christi ad patrem h. e. ejus passione ac morte rigori legis divinæ satisfactum, & perditam in Adamo justitiam reparata est. Hæc per fidem nobis imputatur ac nostra fit, *Jerem. XXIII, 6. XXXIII, 6. I. ad Corinth. I, 30.* quæ solâ in censorio Dei judicio à reatu peccati & mortis absolvimur ac justii habemur, *ad Rom. III, 2. Ph. I. III, 9.* Si autem per legem justitia, Christus frustra mortuus est *ad Galat II, 31. Contra Bellarm. l. 4. de Justif. cap. 18.*

XXVI. Quod additur *καὶ ὁὐκ ἔτι θεωρεῖσθε υἱὸν* *Maldonatus* non de personis Apostolorum, sed hominum genere, quod referebant, ita explicat: Et non amplius videbitis me, h. e. homines, quales vos estis, non videbunt me; ad modum illius *Actor. II, 32 IV, 10. Toletus* de consummatione justitiæ per unicam Christi oblationem facta, *ad Rom. VI, 9, 10.* ut non opus sit, nostri redemptione semel peractâ, visibilem sui præsentiam ejus gratiâ denuò in carne exhiberi. *Jacob. Faber Stapul.* per enallagen personarum secundæ pluralis in tertiam



ad Mundum referendum esse statuit, non ad Discipulos, qui Christum iterum visuri erant ex v. 16. Ne quicquam tamen hæc faciunt. Ad Discipulos transferre non dubitamus. Verba enim sunt satis clara: nec obstat, quod Salvator ipsis v. c. sui videndi copiam se facturum promittit. Nam utrumque inibi dicitur, non absolutè tamen, sed determinatè, scilicet secundum diversa tempora & status. Vid. D. Gerbard. in Harm. cap. 179. p. 1074.

v. II.

XXVII. Tertiò de *Judicio*, *ὅτι ὁ ἀρχὼν ἔκτιστος τὰς κέρας*. Tanta hæc sunt in varietate ac disensione constituti Commentatores, ut, cui subscribendum, non facilè adpareat. Prætermisissis, qui nimium à scopo abluunt, duas illorum classes facimus. Quidam ad *Christum* referunt & vel de judiciaria ejus potestate intelligunt, quæ post gloriosam in cælos adscensionem in regno tum naturæ tum gratiæ universa usq; ad cõsummationem secuti gubernat ac moderatur *Johan. V, 22. Actor. II, 34.* adeò ut etiam Diabolus fasces ipsi submittere & à nutu ejus pendere cogatur. *Eman. Sà, Rolloc. Beza, Calixt. in h. l. vel de judicio ejus extremo, non quidem generali seu discretionis, cujus objectum erunt omnes omninò homines, Matth. XXV, 32. ad Rom. XIV, 11.* sed speciali, eoq; condemnationis, quod in reprobos statuendum erit, *Johan. XII, 48.* non ad probationis, quod Electos tantum spectat, *I. ad Corinth. IV, 4. Augustin. Beda, Tolet. in b. l.* Quidam ad *Mundum* referunt, & vel activum ejus iudicium intelligunt, quod de Christo perversè tulit, quoque Diabolum imitatus pios calumniatur. *Bernhard. Adam Conzen, Flacius, Pelargus in h. l. vel passivum cum occultum & temporale, quod in hac vita & morte sentit, tum manifestum & æternum, quod in die demum novissimo, certo certius experietur. Tirinus, Maldonat. Menoch. Cornel. à Lapid. Tarnov. in b. l.* Nos iis, qui agmen claudunt, addita in textu ratione moti accedimus. Cùm enim mundus ex obstinata malitia nulla peccatorum pœnitentia ducatur, nec Justitiam merito Christi partam agnoscere velit, non impunè ipsi hoc cesuram Spiritus S. à condemnatione Diaboli, velut à majori ad minus, evidentissimè demonstrat. Si namque Mundi hujus, non quidem ex legitimi dominii potestate, sed pravà illi se subjicientium voluntate, princeps cruciatus æternos non effugiet, multò minùs, qui imperio ejus addicti, & quoad vires ipsi longè inferiores sunt.

XXVIII.



XXVIII. Haftenus de Officio Spiritus S. circa Mundum Elen-  
chtico. Succedit jam, quod immediatè respectu Discipulorum exe-  
cuturus erat Didascalicum: cui Salvator causam præmittit, cur non  
ipse hoc munus obeat, his verbis: ἐπιπολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' ἔ-  
δωκα δε βασιλεῖν ἄρτι. Captum Apostolorum excedebat mysterio-  
rum sublimitas, & quæ satis perspicuè tradita fuerant, propter opi-  
nionem, quam de terreno Mesia regno fovebant, adsequi non po-  
terant: Huic accedebat summa, in qua conjecti erant, animi tristi-  
tia. Operam ergò se ludere videns Salvator, quæ dicenda restabant,  
in adventum Spiritus S. differt. βασιλεῖν à corpore ad animum  
transfertur: rarò admodum, eleganter tamen *b. in l.* Sicut enim, qui  
onus humeris impar sustinet, illud portare nequit: ita intellectus  
iis, quæ captum ejus superant, non ferendo esse dicitur. Sic è contra  
incertus apud Suidam autor: πάντα δ' ἐβάσε Φρενὶ, quod *Casabo-*  
*nus* citat *in notis ad b. l.*

XXIX. Abutuntur hoc loco Pontificii & pro stabilienda sua de  
Traditionibus opinione multum roboris in eo situm esse conten-  
dunt. *Salmeron, Tirin. Maldon. Ad. Conzen. Cornel. à Lap.* & paucis  
exceptis uno ore omnes in *b. l.* Duo autem exinde concludunt.  
I. Christum non omnia, quæ ad salutem scitu necessaria, Discipulos  
docuisse. *Stapletonus Prompt. Cathol. Dom. IV. post Pascha.* II. Non  
omnia quoad doctrinam fidei & morum literis consignata esse, sed  
quædam velut per manus tradita & accepta: *Bellarmin. lib. 4. de V. D.*  
*cap. 5. Resp. ad prius.* Multa insuper dicere hîc non est ab his, quæ  
dicta sunt alia proferre, sed eadem copiosius & clariùs exponere.  
Nam Christum non loqui de novis Fidei articulis & fundamenti-  
bus dogmatis ex *Johan XV, 15.* abundè constat. Nec est quod *Toletus*  
*in b. l.* excipiat, Christum non absolutè omnia Discipulis nota fecis-  
se, sed ea tantùm, quæ pro eorum conditione ac statu necessaria vi-  
debantur. Ea enim omnia Apostolis patefecit, quæ à Patre audi-  
vit, h. e. omne Dei consiliùm, quod ad salutem obtinendam scire  
nostri refert, *Actor. XX, 27.* Sicut & pleniorẽ saltim ac planiorẽ  
declarationẽ hîc intelligendam esse Patres testantur *Leo M. Serm. 7.*  
*de Pentecost.* *Ambrosi us l. 2. de Spir. S. l. 5. de Fide. c. 6.* *Didymus l. 2. de*  
*Sp. S.* Accedit adversariorũ quorundam cõfessio, ut *Thomæ, Jansenii,*  
*Feri in b. l. Nicolai de Lira in Gloss. ordin. super b. l.* Ad posterius dicimus,



committi fallaciam consequentis Posito etiam, sed non concesso, Salvatorem quoque Fidei dogmata, in adventum Spiritus Sancti. reservanda, silentio præterisse, unde constat, in literas ea relata postea non esse? De his uberius disserentes vide B. Gerhard, in *Harm. pag. 1093. seqq.* Tarnov. in *b. l. qv. 4.* Brochmand. *part. 1. Controv. Pontif. lib. 4. cap. 10, 11, 12,* Grawer. *Disput. Anti-Jesuit. l. 1. b. 162. & seqq.* præprimis D. Waltherum in *Officin. Bibl. Reposit. prior. thes. 2. arcul. 3. §. 246.* Contra Bellarm. *l. c.* Stapleton. in *relect. doctrin. princip. Fidei controv. 5. qv. 5. artic. 123.* Gordon. Huntl. *Controv. 1. de V. D. cap. 27. & seqq.* Costerum in *Enchirid. Controv. cap. 1. pag. 48.*

v. 13.

XXX. Ipsum docendi munus Salvator ita describit: ὁ παν δεῖ ἔλθῃ ἐκεῖν τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει υμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Per σωθεσιν hic ἐλλεικτικῶς pronomen ἐκεῖν τὸ voci ἁγικότητος vers. 7. respondere volunt *Erasm. Jansen. Maldon. in b. l.* Rectius tamen ex locis huic parallelis *Johan. XIV, 26. cap. XV, 26. ἐπερωσιν* generis statuimus, quæ de personalibus actionibus usurpata, nunquam non personam arguit, *Matth. XXII, 9. Act. XXVI, 17. ad Gal. II, 16. Coloss. II, 19.* Vid. *Flac. part. 2. Clav. tract. 3. de construct. Pron §. 24.* Metaphoram, quæ perquam elegans est in ὁδηγεῖν *Vulgatus & Phabadius in libr. adv. Arian.* non expriment, dum hic narrare, ille docere vertit. Melius sanè cum *Tremellio & Beza* verbum verbo in textu reddimus: inducet, dux viæ vobis erit in omnem veritatem. Quem admodum enim in bivio constitutus, & num sinistram, an dextram versus deflectendam, incertus ductore fideli opus habet, cui de tramite, quo iter faciendum, constet: ita in totum terrarum orbem ablegandi Apostoli in ignota rerum velut sylva versabantur, quæ viâ eundem ignari: de facili à semita veritatis declinare potuissent, cum infinitæ falsitatis viæ, veritatis autem plus unâ non sit. Prævio verò ductu Spiritus S. qui ipsa veritas, aberrare non poterant. Latius hæc diducentem vid. *B. Gerhard in Harm. pag. 1098.* Spiritum S. nihil eorum, quæ ad fidem & mores pertinent, reliquum fecisse, deductio in omnem veritatem argumento est, ut rectè sentit *Thomas I. secundæ qv. 106. artic. 4. resp. ad 2. arg.* Contra *Barrad Tom. 4. l. 5. cap. 6. Maldonat. Corn. à Lap. in b. l.* quos refutat *D. Tarnov. qv. 5. ad b. l.*

XXXI. Sicuti autem hunc locum contra Alb. Pighium *l. 1. Hier. Eccles. cap. 2.* Franc. Fevardentium in *refut. Catech. Calvin.* pro infallibili



bili Apostolorum in tradendis Fidei articulis autoritate & non er-  
 randi privilegio facere adseveramus: ita Ecclesiam quocunque mo-  
 do consideratam ab omni errore immunem esse, ex eo probari ne-  
 gamus contra Bellarm. *lib 3 de Eccles. cap. 14*. Gregor. de Valent. *lib. 6.*  
*Annal. cap. 4*. Stapleton *in relect. quest. 3. art. 2*. Becan. *in libell. de Eccles.*  
*controv. 5. quest. 1. concl. 4*. Primario enim de Apostolis, secundo  
 vero de membris Ecclesie Apostolicæ *b. l.* sermo est. De Apostolis  
 ob immediatum Spiritus S. afflatum absolutè verum est, eos in do-  
 cendo errare non potuisse: de Ecclesia, quia mediante verbo illu-  
 minatur, non item, sed limitatè, quatenus scil. ductum Scripturæ  
 sequitur, *1. Johan. II, 24*. Dein accuratè distinguendum est inter Ec-  
 clesiam totam & ejus partem. Ex toto seu quoad omnes coetus si-  
 mul sumptos, qui Universalem constituunt, in errorem fundamen-  
 talem incidere nequit: ex parte autem seu quoad congregationes  
 quasdam seorsim spectatas, quæ Particularem faciunt, cuius erro-  
 ri obnoxia est. Quod Pontificii Experientiâ convicti diffiteri non  
 possunt. Superioribus enim seculis Arius totum Orientem fermè  
 in suam sententiam pertraxerat: Donatistæ Africam: à Nestorii &  
 Eutychetis partibus complures erant Ecclesie. Quâ fronte ergo Bel-  
 larm. *libr. 4. de Pontif. Rom. cap. 4*. Pistor. *in Hodeget. cap. 2*. Roma-  
 nam, ut particularem, erroris expertem venditare audent, cordati  
 judicent. Vid. D. Gerhard. *T. V. de Eccles. cap. 9*. Grawer. *prælect. in*  
*A. C. Art. 7. Fragment. refut. lib. de Eccles. Becani in append. ad Artic. 13.*  
 Höpneri *analys. Theologico Histor. Quest. ubi Ecclesia fuerit ante Lu-*  
*therum.*

XXXII. ἢ γὰρ λαλήσεις ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἀν' ἀκροῦσαι, λαλήσεις.  
 Diversimodè verba hæc cum præcedentibus connectunt Interpre-  
 tes, quo de apud Gerhard. *in Harmon. pag. 1108* Plerique ex Pontificiis  
 cum Prospero *Sentent. 366*. Ambros. *lib. 5. de Fide cap. 6*. de unitate Es-  
 sentie Divinæ, quam Spiritus S. cum Patre & Filio numero eandem  
 obtinet, intelligunt, & à Christo quoad veritatem non identitatem  
 ejus doctrinæ cum sua rationem dari existimant. Nimirum ideò  
 Spiritum S. nihil à veritate alienum prolaturum, quia Patri & Filio  
 coessentialis sit & per æternam ab utroque processionem veritatem  
 Essentialiter communicatam habeat. In quo equidem ipsis non  
 refragamur: solam tamen hanc expositionem sufficere, hoc est quod  
 nega-



negamus. Quinimò, si nexum verborum expendimus, eam à Chri-  
 sto magis præiupponi, quàm loco rationis allegari, animadverti-  
 mus. Chrysoſtomi ergò ſententia *Homil. 77.* & *Cyrill. lib. 10. cap. 41.*  
*in Johan.* meliùs convenit, quàm dicunt: Non loquetur à ſemetipſo  
 h. e. non aliam, quàm ego diſciplinam ſequetur, nec alias leges fe-  
 ret, ſed cum qvs mens mea ſit, quæ mea ſunt, revelabit. Hoc evin-  
 cit r. phraſeos huius ſignificatio, *Johan. XIV, 20.* ubi Chriſtus eodem  
 modo de ſe dicit: ἀπ' ἐμαυτῶς ἔλαλῶ, quo ſuæ doctrinæ cum Patris  
 voluntate revelanda identitatem innui ſimul *Johan. V, 19, 30.* unam  
 & eandem cum Patre operationem, omnes forſan *Pontificii* con-  
 ceſſerint. Lucem his ſœneratur Syri τὸ ἀπ' ἐαυτῶς paraphraſis  
 מן רעין נפשו ex mente ſui ipſius, de voluntate animæ ſuæ.  
 Loquitur enim Chriſtus more humano, quòd non pro arbitrio ſuo  
 alienam & aliam, ac ipſe propoſuerat, doctrinam traditurus ſit.  
 2. ſubjuncta oppoſitio: *Sed quæ audiverit loquetur.* Introducit Sal-  
 vator Spiritum S. ut Legatum, qui nihil ex ſe dicit, ſed tantùm quæ  
 de ſententia illius, cujus vices gerit, aliis referre habet. Sic ea Spi-  
 ritus Sanctus revelavit, quæ ab æterno à Patre hominum gratiã de-  
 creta & in tempore per Chriſtum executioni mandata novit. *Au-*  
*dire enim ipſi eſt ſcire,* inquit *Auguſtin. tractat. 99. in Johan.* unde A-  
 poſtolus: *quæ Dei ſunt nemo novit, niſi Spiritus Dei. I. ad Corinth. II, 11.*  
 Neminem verò hîc moveat futurum, quia omne tempus com-  
 prehendit Æternitas, ut ait *Dionys. Carthus & Gloſſa Ordin. in b. l.*

XXXIII. Quemadmodum autem Chriſtus non ſolùm arcanam  
 Patris de ſalute hominum voluntatem Apoſtolis manifeſtavit, ſed  
 ſæpiſſimè quoque deinceps futura prædixit, quod, ut alia tacea-  
 mus, ex hoc ipſo loco clarum eſt: ita ob omnimodam officii Spi-  
 ritus Sancti eum ſuo conformitatem de ipſo addit: καὶ τὰ ἐρχόμενα  
 ἀναγγελεῖ υἱὸν. Id quod eventus docuit. In primordio enim Ec-  
 cleſiæ plantandæ Prophetiæ donum vigeat, quo multi *Actor. XI,*  
*27.* nominatim verò quatuor filia Philippi, Evangeliftæ, *cap. XXI,*  
*9.* Agabus *v. 10.* Paulus *II. ad Theſſal. II, 3.* *I. Timoth. IV, 1.* aliique  
 inſtructi erant: præſertim in iis, quæ Eccleſiæ militantis ſtatum  
 concernebant. Non tamen ex his Gloria miraculorum & lumen  
 Propheticum, ut genuina Eccleſiæ ſigna deduci poſſunt, quod ſibi  
 falſò perſvadet *Adam Conzen in b. l.* Nam de natura notæ infallibi-  
 lis



his est, ut notato sit propria & perpetua, quod his ac cæteris, quas *Pom-  
ificii* adsignant, Ecclesiæ notis minimè competit. Vide Gravver.  
*Disput. Anti-Jesuit. 3. th. 35. & seqq.* Brochmand. *Lychno Prophet. Part.*  
*3. cap. 9* contra Bellarm. *l. 4. de Eccles. cap. 3. & seqq.*

XXXIV. Didascalicum Spiritus S. officium excipit *δοξασιον*,  
quod ratione Christi præstiturus erat, de quo Salvator: *ἐκείνῳ ἐμὲ*  
*δοξάσει*. Glorificatio Christi *alia* est quoad statum exaltationis per  
collationem gloriæ *tum* finitæ, quæ consistit in qualitatibus Corpo-  
ris clarificati humanæ ejus Naturæ subjectivè in hærentibus: *tum* in-  
finitæ, quæ est Divinæ Majestatis propter unionem personalem ei-  
dem communicatæ, plenaria usurpatio: *alia* quoad statum exalta-  
tionis per declarationem gloriæ sibi, ut Deo Essentialiter, ut homini  
personaliter competentis. *Prior* ad subseq. C. XVII v. 1. & 5. perti-  
net: *Posterior* est hujus loci. *Illam* Patri acceptam refert Christus:  
*hanc* Spiritui S. non eo tamen sensu, ac si utraque utrique non com-  
munis sit. Opera enim Dei ad extra sunt indivisa. Quin etiam nec  
ipse Filius à sui glorificatione est exclusus cum secundum Divinam  
Naturam unius cum Patre & Spiritu S. Essentiæ & potentia sit. Mo-  
dum glorificandi suppeditant sequentia: *ὅτι ἐκ τῆ ἐμῆ λήψεως καὶ*  
*ἀνασφελῆς ὑμῖν.* Ἐπὶ enim per *ἐπέξηγησιν* pro *ut qui* accipiunt *Grō-*  
*tius, Eman. S. a,* & quis non? Circa enodationem verborum: *De meo*  
*accipiet*, in diversum abeunt Interpretes. Plurimi tamen de æterna  
Spiritus S. à Filio processione explicant. Optimè sanè. Persona  
enim Divina nihil præter Essentiam *vel* per *γέννησιν*, ut Filius à Patre  
*Psal. II, 7. vel* per *ἐκπέρευσιν*, ut Spir. S. ab utraque *Johan. XV, 26.* ac-  
cipere potest. Quamvis autem Spiritum S. à Filio procedere *κατὰ*  
*ρήτῳ* in Sacris non extet: *κατὰ* *ἀένοιαν* tamen & per phrasium aequi-  
pollentiam locis non unis adinvenitur. Insignis eorum est hic præ-  
fens. Ex eo namq; *τὸ λαμβάνειν* tam proprium Spiritui S. existimã-  
runt Veteres, ut ad modum *ἐπαρξέως* accommodârunt. Atq; hinc  
Spiritus S. *ἐκ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι ἐξ ὑῆς λαμβάνειν* dixerunt. Gra-  
viter proinde errant recentiores Græci, qui spirationem Patri solum  
tribuunt & Spiritum S. Filii Spiritum dici opinantur, non quod à  
Filio spiretur, sed quod cum ipso ex uno fonte progrediatur; uti  
Gravverus ex *actis Theolog Wurtembergens. & Hieremie Patriarchæ Con-*  
*stantinopol. A. 1588. Witeberg. editis* refert in *Centur. Quæst. Theolog Dis-*

v. 14.

D

214





pat. 7. qv. 2. Maldonato recepta hæc vulgo, ut vocat, sententia non  
ridet ob tres potissimum rationes, quas dilutas vide à D. Gerbard. in  
Harm. cap. 179. pag. 1177 & seqq. Veram autem Interpretationem esse  
ait, quia non aliam quam meam vobis, tanquam legatus, tradet do-  
ctrinam. Eò inclinat Heinsius in Aristarch. cap. 26. cui ληψις, ut Hebr.  
לָקַח scientia, doctrina est: unde præclare τὸ ληψάμενος &, quod  
modò præcessit, αὐθέντῳ jungi existimat hoc loci hujus sensu: quæ  
mea sunt noscet, exploratum habebit: vel, quod magis ad textum,  
eorum cognitionem de me hauriet, quæ ad gloriam meam illustran-  
dam faciunt. Verùm conjungenda malè divelluntur. Alterutrum  
seorsim sumptum huic loco non satisfacit. Si enim de sola Spiritus  
S. à Filio processione illum intelligere velimus, semetipsum po-  
tius glorificaret, aut parum certè gloriæ Christi adderet Spiritus S. eò  
quòd glorificatio per ejus, quod à Christo accepturus erat, annun-  
ciationem declaratur. Scientiã verò in Deo sine Essentia esse ne-  
quit. Communicatã ergò Spiritui S. à Filio scientiã non potest non  
simul accipere Essentiam, quia, ut Augustinus ait, Intelligere & nosse  
in Deo est ipsum Dei esse, lib. 6. de Trin. cap. 7. De quo nervosè admo-  
dum disputat Græver. in Centur. 2. Theol. Diss. 2. qv. 4. & seqq. con-  
tra Vorstium in lib. de Deo & attrib. Divin. p. 270

v. 15.

XXXV. πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατήρ, ἐμεὰ ἵδι. Ἀὰ τὸ τοῦ εἶπον, ἐπὶ & εἰ  
Optimus sui quisque Interpres. Cùm ergò seipsum Christus expli-  
cat, nullus ambigendi locus relinquitur. Sine dubio autem ad v.  
penult. cap. præced. Salvator respicit, ex quo mirum videri posset Di-  
scipulis, quò Spiritus S. à Patre procedens de iis, quæ Christi sunt,  
Accipere dicatur? Aliàs enim nulla est connexio. At cum jam dictis  
pulchrè cohæret. Etenim hoc videtur velle Christus: Non est, quòd  
miremini. Utrique sua veritas constat: à Patre Spiritus S. procedit  
& de meo accipit, cùm omnia, quæ Pater habet, mea sint. Ubi non  
dubium est, quin Essentiam imprimis intelligat, ut Maldonatus sui  
prorsus oblitus fatetur. Omnia verò, quæ Pater habet, Filii sunt  
eo scil. modo, quo rationem Filiationis non evertunt. Sic nihil  
omnino in Patre est, quod cum ipso etiam Filio non sit commune.  
Sunt qui etiam paternitatem eminenter filio tribuant. Thomas statuit:  
Si Paternitas referatur ad Essentiam patris tunc omnia, quæcunque  
Pater habet, habere etiam Filium, cùm Paternitas non sit res alia ab  
Essen-



Essentia Patris distincta. Si vero conferatur ad oppositam relationem, tunc Filium habere omnia, quæ Pater habet, seclusa Paternitate *lect. 4. in b. l.* Nos adserimus quicquid in Patre non est sub ratione relationis oppositæ ad Filium, illud omne Filio quoque est proprium. At Spiratio. E. Sin secus distinguerentur plusquam relatione & proinde substantia. Nam Pater ut est Spirator, non est in relatione ad Filium. Ergò, Si ut Spirator distinguitur à Filio, distinguitur per Spirationem non ut relatio est, sed ut forma est quædam in Patre subsistens. *Cornel. à Lapide in b. l.*

XXXVI. Egregius hic locus est ad probandum. I. Christi in Essentia Divina æqualitatem. *Photiniani* Christum non ἀπλῶς, sed secundum quid Deo æqualem esse contendunt, in operando nimirum quatenus potentiâ sibi à Patre datâ omnia illa opera, quæ solius Dei sunt, ut Deus ipse efficit: non inessendo, quo Patre minore, & nihil à seipso facere posse perhibent. *Catech. Rakav. minor. pag. 123. Anonymus, qui putatur esse Faustus Socinus, in refutat. Bellarmin. & Wiek. cap. 5. p. 253. Autor Examinis: Welche die seyn / Die da verleugnen Jesum den Herrn. lit. B. 6. fac. a. Francisc. David. in Disput. Transsylv. action. 4. diei lit. N. 3. fac. a. Qui expressis Christi verbis refelluntur. Ex iisdem n. validè adversus ipsos inferimus: Omnia quæ Pater habet, Filii sunt. E. etiam Essentia Divina. Excipit *Catech. Rackav. pag. 127. Omnia* hic non absolutam universalitatem exprimere, sed accommodam, & referendum esse ad subjectam materiam, ad ea scilicet quæ per Spiritum S. de Christo manifestanda erant. Deinde Christum habere omnia ex gratia & dono Patris, non autem naturâ; vel ut *Socinus loco alleg. pag. 277.* putat, eo modo, quo omnia, quæ maritus habet, uxoris esse dicuntur. Sed nihil agunt. Ad prius quod attinet, aliquatenus id largimur. Eò enim universalitas extendenda non est, ut personalem Patris proprietatem, quæ est ἀρχησιμία, includat: cùm Filius hac ratione non esset Filius. Unico tamen hoc excepto nihil amplius eorum, quæ Pater habet excludi, geminata universalitas, πάντα ὅσα ἔχει, satis docet. Alia silentio involvimus. *Posterius simpliciter negamus.* Verum quidem, Christum, quâ homo est, Essentialia Dei κοινωνησά per gratiam unionis personalis ab ipso λόγῳ habere: per exaltationem à Patre, quâ eidem ὄνομα τὸ ἐπὶ τῶν αἰν ὄνομα ἔχασαντο, ad *Philip. II, 9.* Sed, quâ*

D 2

Deus,



Deus, ipsa Divina Essentia, cum omnibus omnino ejus attributis per naturam ipsi competit. Sicut enim Pater vitam habet in se ipso: ita Filio dedit vitam habere in se ipso, *Johan. V. 26.* Jam verò Pater vitam, habet in se ipso Essentialiter & per naturam. E. Præterea pronomen *ἐμὰ* non possessivum est, ita ut externam possessionem notet, quæ ea dicuntur alicujus esse, quibus ipsi uti frui datur; sed Essentiale quomodo dicimus: hæc natura mea est, &c. Videat. *Didymus Alexandr. l. 2. de Sp. S. Dionys. Carib. in b. l.*

XXXVII. II. Spiritus S. in propria Subsistentia personalitatem. *Photiniani* Christum Deum dici, sed non esse: Spiritum S. Deum esse sed non dici statuunt. Ita enim *Ostorodus: Non negamus, quoniam Spiritus S. de natura Dei est, quod sit Deus, in Disput. German. Tradel. oppos. part. 2. cap. 12.* & *Catechism. Raekav. major. Academ. Witeberg. inscriptus cap. 1. pag. 41. Spiritus S. nullibi expresse appellatur Deus.* Falsò tamen utrumque. Cum enim Deum esse concedunt, eo modo intellectum volunt, quo Justitia, Misericordia & omne, quod in Deo est communiter pro Deo reputatur: non quòd sit persona realiter à Patre distincta. *Ostorod. l. c. p. 201.* Nos, ut alia mittamus ab actibus personalibus, qui Spiritui S. *b. in l.* non una vice tribuuntur, contra argumentamur. Cui verè competunt opera solis personis propria, ille est persona. At Sp. S. E. Major sua luce radiat. Minor è textu clara est. *Socinus tamen in refut. Bellarm. & Wick. cap. 10 pag. 488.* Majorem instantia è Scripturis petita infringere laborat. Sed adhuc firma stat. Quando enim Scriptura inanimatis & *ἀνυπόσωτοις* operationes personarum adscribit, tum illud figuratè fit & *προσωποποίησις*, ita ut ex contextu aliisq; locis & rei natura planum sit locutionem, impropiam esse. Longè autem dispar est ratio, cum Spiritui S. actiones personales attribuuntur. De quo consule *D. Meisner. in Theolog. Photin. cap. 4. artic. 3. Fevrborn. Anti-Ostorod. Disput. 5. tb. 19. seqq. Franzium Disput. 2. Sect. ult. adversus Smalc.*

v. 16.

XXXIIX. A triplici Spiritus S. officio, Salvator ad ulteriorem & peculiari quadam phrasi figuratam sui Abitus expositionem digreditur: *μικρὸν καὶ ἔμενεν ἔτι με. καὶ πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με.* Interpretes hîc in varias partes scinduntur. *Augustin. tractat. 101. in Johan. Beda, Maldon. Jansen. Calixt. in b. l.* ita explicant: Pusillum temporis erit ad meam usque in coelos ascensionem, post illud non amplius



amplius videbitis me, & iterum pusillum à mea scil. adscensione ad reditum in die iudicii, & tunc videbitis me. *Cyrill. Tom. 1. l. 2. cap. 3. in Joban. Euthym Haymo, Pellicanus, Alcuinus, Thom. Salmer. Tirin. Conz. Corn. à Lap. in b. l. prius μικρόν ad triduum illud referunt, quo Christus in sepulchro delituit: posterius verò ad 40 dies, qui inter Resurrectionem ejus & adscensionem ad cœlos interceserunt. Jacob. Fabrum, Albert. M. Rupert. Calvin in b. l. Bzovium Concion. 1. Domin. Jubil. & alios, quid super h. l. animi habeant, vide apud Gerbard. in Harm pag 1150. & seqq. Rem ipsam præ cæteris putare videntur Cajetan. Tolet. Barrad. Menoch. Eman. Sa, Grotius, Heinsius in b. l. qui alterum pusillum de exiguo temporis intervallo, quod ad mortem Christi residuum erat: alterum verò de trium dierum à morte ad resurrectionem spacio intelligunt hoc sensu: paucillum temporis restat, cum oculis vestris subtrahatur: brevi tamen meo iterum conspectu fruimini. Quæ rationis loco subjunguntur: ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα, primâ fronte cum πρὸς θεοῦ non satis convenire videntur: at si penitus in ea introspeciamus, optimè. Non autem de sola Christi morte, ut Maldonato videtur: neque solum de gloriosa ejus in cœlum adscensione, uti Paul. Whan in Serm. Domin. & Staplet. in prompt. moral. super Domin. Jubil. volunt; sed de morte, resurrectione & adscensione simul accipienda sunt. Mors enim & resurrectio transitus erant seu via, quâ iretur ad patrem: quandoquidem ita fuerat constitutum & à Prophetis prædictum *Luc. XXIV, 26, 46.* ut prius mortem obiret ac resurgendo se manifestaret quàm in cœlos ad Patrem adscenderet. Ideò ergò non visuri erant Dominum Apostoli & iterum visuri, quia jam è vita migrabat, gloriose denuò resurrecturus: quod utrumq; Abitus Christi ad Patrem includit.*

XXXIX. Ad concisam verborum Christi brevitatem ancipites hærent Apostoli & num fortè ex mutua disquisitione sensum eorum elicere possint, sermones invicem conferunt. Prius autem id, de quo dubii erant, in medium adferunt: τί ἔστι τὰς, ὃ λαλεῖς ὑμῖν. Post eâ nihil certi se pronunciare posse, ingenuè fatentur: οὐκ οἶδα μὲν τί λαλεῖ. De industria Salvator, quæ multoties perspicuè satis docuerat, verbis paulò obscurioribus reperit, ut de iisdem altiùs cogitent, & ex unius cum altero collatione plenior sibi cognitionem adquirant. Frustra tamen. Nec in abdito latent causa. Cùm enim va-

v. 17.

v. 18.



Scintilla Domini parum curiosè haberent, & quam de imperio Me-  
sæ terrestri animo comprehensam tenebant, opinione non desiste-  
rent, aliter fieri haud poterat. Ex quo adparet neminem à Scripturæ  
luce illuminari, qui mentem præconceptæ opinionis nube præfra-  
ctè obscuraverit. Quis enim, quæso, genuinus loci cujusdam sen-  
sus efferi poterit, si alienus jam inferatur? Nonne præpostero in-  
terpretandi ordine normatum normæ regula fit? Nihil certè præter  
hoc aliud causæ subest, cur tam rara sit ad orthodoxiam converso-  
rum mensis.

ϑ. 19.

XL. ἔγνω δὲ ὁ Ἰησοῦς ὅτι ἤθελον αὐτὸν ἐρωτᾶν. Quid animi essent  
Discipuli, Christus, ut καρδιογνώστης, in luce omniscientiæ secun-  
dum Divinam Naturam Essentialiter sibi propria, secundum Hu-  
manam Naturam personaliter ipsi communicatæ noverat. Licet  
enim, quæ Homo, in statu Exinanitionis plenario ejus usu, qui est  
respectu omnium rerum scibilium & non cessantis actus, se abdicâ-  
rit, quia ejus animæ Divina Sapiencia non ut habitus inhærebat, sed  
per liberrimam οἰκονομίαν καὶ ὁδοκίαν, ut ait B. Gerbard. in Orat. de  
Communic. Idiom. Tom. I. LL. annexâ: quandoque tamen, cum ipsi vi-  
sum fuit & officii ratio requisivit, particulariter eam exeruit. At  
plenè & totaliter nunquam neq; per occultationem, neq; per mani-  
festationem: quippe status Humiliationis id non permittebat. No-  
stri enim Protoplasti, volentes Deo esse pares, ipsam etiam majesta-  
tem omniscientiæ adfectarunt & usurpandam rapere conati sunt.  
Si ergò Filius Dei pro isto raptu debuit & voluit non qualitercunq;  
sed ἰσορροπῶ λύτρῳ satisfacere, oportuit ipsum, ut homo est, ipsâ Ma-  
jesticâ scientiâ quoad usum plenum evacuari. Accedit, si plena-  
riam ejus & reliquorum idiomatum usurpationem in forma servi  
habuerit, statum Exaltationis ab Exinanitionis statu non ad eò dif-  
ferre: imò, nisi usum eorum sibi ipsi subtraxerit, opus Redemptio-  
nis perfici non potuisse. Probè autem hîc tenenda est usitata No-  
stratibus distinctio inter κτήσιν & ζῴων seu, quod eodem recidit, in-  
ter actum *primū*, qui non est δυνάμεις Aristotelica τῆ ἐντελεχείᾳ  
opposita, sed ipsa Divina Majestas actu realissimo per unionem hy-  
postaticam Christo, quæ Homo est, communicata, at non semper  
nec ubique in statu Exinanitionis ab ipso usurpata: & actum *secun-  
dum*, qui est ejusdem usurpatio. Et licet in ipsa Deitate nequeat Om-  
nisci-



inifcientia actum primum & secundum admittere, sed sit non nisi ipse actus purissimus; tamen in anima Christi ab actu secundo illa semoveri potuit. Vid. *Fewrborn. in κενωσις. sect. 1. cap. 12. contra Bel-larm. lib. de anima Christi. cap. 2. seqq.* Gregor. de Val. *Tom. IV. disput. I. qv. 10. punct. 2. Sadeel. Tom. II. pag. 186. Polan. Syntagm. Theol. l. 1. c. 6, 7, 9. & lib. 9. cap. 16.*

XLI. Cognitis, quæ in animis secum versabant Discipuli, Chri-  
stus interrogationem eorum responsione antevertit præmissâ sole-  
mni sibi adfertionis formulâ: *Ἀμὲν Ἀμὲν λέγω ὑμῖν* Hebr. *אמן &*  
*Græcis & Latinis usu receptum, veritatem quandoque significat, ut*  
*Jes. LXV, 16. אמן בארתי בשבע* *jurabit in Deo veritatis, h. e. per*  
*idiotism. Hebr. in Deo vero, unde Lutherus: bey den rechten Gott.*  
*Sic II. ad Corintb. I, 25. Frequentissimè tamen adverbiali significatu*  
*occurrit: interdum quidem Ἐπιπρωσ pro voto, utinam, ita fiat Deut.*  
*XXXVII, 15. ubi à LXX per ἔσονται redditum duodecies legitur. Con-*  
*fer I. Reg. I, 36. Jerem. XXII, 6. I. ad Corintb. XIV, 16. Apoc. XXII, 20.*  
*interdum verò κατασκευαστικῶς pro adseveratione, profectò, reverà, ita*  
*fiet, ut ex collatione Matth. XVI, 28. XXIV, 47. cum Luc. IX, 27. XII, 44.*  
*it: Marc. XI, 23. cum Luc. XXI, 3. ad oculum patet. Utrum autem*  
*hîc alibiq; locorum juramenti vicem præstet, nec ne? in controver-*  
*siam venit. Multi ex Patribus Origen. in cap. 26. Matth. Hieron. Tom. 5.*  
*in 16. Ezech. Tom. 9. in 6. ad Galat. Chrysost. Homil. 10. in Marc. Augu-*  
*stin. tractat. 41. in Joban. prioris affirmativam tenent. Fullerus lib. 1.*  
*Miscell. cap. 2. contra putat, cui adstipulantur alii recentiorum: qui-*  
*bus argumentis ducti vid. apud D. Tarnov. in Joban. cap. 1. p. 176. & seqq.*  
*Tanti tamen momenti non sunt, ut subverti nequeant. Urgent præ-*  
*primis notationem vocis. At infirma inde conclusio. Usus spectan-*  
*du, qui sicut nummi valet. Faciles damus, eam per se ὡτως no-*  
*tare: quod si ad juramentum postea usu translatum sit, id origini*  
*ejus nihil præjudicat, ut de partic. ἡμὲν ad Hebr. VI, 14. respondet*  
*ipse Fullerus l. d. Nos potius cum Chrysostomo: Jurat Christus: debemus*  
*Christo juranti credere. Nam quod in V. T. dicitur: Vivo ego dicit Domi-*  
*mus; in N. dicitur: Amen dico vobis. Sicut enim Deus, cum non posset*  
*per quenquam majorem jurare, juravit per seipsum ad Hebr. VI, 13.*  
*ita Christus, qui est Amen, testis fidelis Apoc. III, 14. ipsa veritas Jo-*  
*ban.*

v. 26.



*Mat. XIV, 16.* seipsam in testem vocat, ut verbis ipsius fidem adhiberent Discipuli, & vanis illis de terrena felicitate somniis nuncium mitterent.

XLII. Quamobrem Christus non explicitè, quid sibi hæc pusilla velint, respōdeat, sed effectum saltim utriusq; demōstret, id in causa esse putat *Rupertus ad b. l.* Ut, qui verborum sit sensus, ex ipso potius eventu, quam ex se, Discipuli discant, nec timore jam percussis expressa passionis & mortis mentione gravius adficiantur. Et rectè quidem. Nihil enim tam agrè ipsis erat ac Domini sui Abitus, ut quidvis potius ferre non recusassent, modò præsentia ejus frui datum fuisset. Non autem præter rem est hæc Salvatoris responsio, sed utrumque in dubium vocati sermonis membrum à subsequutura tùm tristitiã tùm lætitiã non nihil lucis accipit. Siquidem sub fletu & lamentatione Apostolorum deplorandam ipsius mortem: sub gaudio verò eorum lætam sui à mortuis resurrectionem tacitè innuit.

v.20.

XLIII. Quoad prius cùm externam Discipulorum faciem, seu quæ animi est imago, vultum depingit: *κλάυετε & θρηνήσετε υμεις:* tùm internum eorum affectum: *υμεις ἢ λυπηθήσεσθε.* Nam *κλαίειν* est *δακρυχεῖν* *Hom. Iliad. 6.* profundere lacrimas, quæ, ut *Cyprianus lib. 2; Epist. 7.* ait, legati dolores sunt: cum enim cor angoris pondere premitur, ex oculorum fontibus lacrimæ prorumpunt, quas haut inscitè animi, acri doloris morsu saucii, sanguinem quis vocaverit. *Gerbar. Harm. pag. 1173.* Et *θρηνεῖν* miserandum in modum lamentari, lugubriter ejulare, voce querula dolorem testari, propriè in luctu & plâctu, qui ad demortuorum funera excitari solet: unde LXX. pro *כבד* *Jerem. XXV, 33.* & *וַיִּבְרַח* *Paralip. XXXV, 25.* usi sunt. Complementum hujus extat *Marc. XVI, 10.* *λυπηθήσεσθε* verò (à *λύπη*, quod *ωδὴ τὸ λύειν εἰς δάκρυα τῆς ἀπάς*, quia oculos in lacrimas resolvat, Etymologo dictum videtur) dolorem capere, dolenter ferre, animi cruciari. Syrus vertit in textu: Erit vobis *כבד* abbreviatio Spiritus hoc est, præ mœrore vix poteritis spiritum ducere unde in *seq. v.* *λυπηθῆσθε* de angore, quo partui vicina mulier ita conflictatur, ut animam sæpe agat, accipitur: & *λυπηθήσεσθε* à LXX pro *כבד* ex dolore languidum fieri *Thren. 1, 23.* Quæ omn̄a exquisitissimos Apostolorum dolores arguunt, quos per triduum illud non tantùm in corde aluerunt, sed etiam fletu, ejulatu aliisq; lamentis prodiderunt. Et hos non pa-  
rum





rum auxit opposita Mundi exultatio: ὅς ἡ κόσμος χαρήσεται. Quibus Christum hoc velle, ait *Euthymius*: Totus mundus gaudebit, quia mea passio totius Mundi erit gaudium. Sed non cohæret. Per Synecdoch. totius pro parte Judæos hîc notari, antecedentia monstrant: & non salutarem meriti Christi applicationem, (quæ etiam non totius Mundi est) sed, quem de ipso è vivis sublato egerunt, triumphum intelligi, è textus perspicuitate claret.

XLIV. Quoad *posterius* exoptatâ mœroris in gaudium catastrophe Discipulos erigit Salvator: ἀλλ' ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται. Cui eventus exactè respondet. Ob mortem enim Domini impensè dolebant, eò quod de ipso actum esse putarent: ob resurrectionem verò ejus exultanter gavisi tristes animo curas mittebant. Quamquam autem primariò de statu Apostolorum, qui ipsos tēpore mortis & subsecutæ resurrectionis habebat, Christus loquatur: Secundiò tamen ad statum verè-fidelium in Ecclesia militante luctuosum, in triumphante verò gaudio plenum accommodari possunt. Nam, quæ Christus tempore ministerii sui ad Apostolos dixit in quadruplici differentia sunt. *Quædam* ipsis competunt, ut Apostolis, & personalia sunt, *Matth. X, 5. quædam*, ut Ecclesiæ Doctoribus, & simul ad eorum in ministerio successores pertinent *Johan. XX, 23. quædam* ut Discipulis, & omnes quoq; Christianos concernunt, *Joh. XIII, 25. quædam* ut hominibus quæ omnibus in genere præponuntur, *Marc. XII, ult.*

XLV. Hanc luctus & gaudii vicissitudinem ὁμοίω ὀπίδειλωτικῶν ὀπιειλωτικῶν illustrat ab angustia parturientis, & fœtum enixa lætitiâ: ἡ γυνὴ ὀπιειλωτικῶν τίκτει λυγρῶν ἔχει &c: Acutissimi sunt è partu laborantium dolores, quod Hecuba sensit apud *Euripid.* inquiring, malle se decies in acie stare, quàm semel parere. Unde *Apoc. XII, 2. βασανίζουσίς*, h. e. in tortura constitutis comparantur, & ad exprimendam anxietatis vehementiam, *Psal. XLVIII, 7. Jes. III, 8. Jerem. IV, 30. Ezech. XXX, 16.* & alibi crebrò adhibentur. Non diu tamen durant: ὅτι ἡλθεν ἡ ὄρα, quibus non solum tempus partui destinatum, ut *Maldonatus* contendit, verum etiam, in quo ad partum nituntur, exiguum respectu succedentis gaudii spacium innuitur; sed brevi, cum partu levata sunt, tantam è prole in lucem edita voluptatem capiunt, quæ omnium dolorum, licet intensissimorum, oblivionem inducat. In verba Christi

E

sti in

v. 21.



sti injurii sunt, qui hunc locum per accommodationem ad fideles ita extendunt, ut adfirmare audent, quemadmodum exantlatis enitendi laboribus parturientē summa lætitia excipit: ita unūquemq; se per dolores, quos à carne & Mundo passus est, in regnum cœlorum natum gavisurum esse. *Jansen. Comm. in Concord. cap. 135. Pelbartus Domin. 3. post Pasch. Serm. 1.*

v. 22.

XLVI. Quâ mente hoc à Salvatore prolatum, signantissimè exprimitur in ἀποδόσει, quæ, cum notæ comparationis desint, beneficio partic: καὶ subnectitur: καὶ ὑμεῖς ἐν λύπῃ μὲν νῦν ἔχετε &c. Eam si conjunctim spectamus, in hoc similitudinis tertio cum ἀερίσει cōvenit: Sicut in partu vicibus res disposita est, ut dolor cum gaudio permutetur: ita ægritudo, quâ jam affecti estis, in lætitiā transibit. Quod si divisim membra utrinq; inter se comparemus, in priori tum quoad doloris acerbicatem, quæ ex identitate phraseως λύπῃ ἔχειν, adparet, tum brevitatem, quam in τῷ νῦν subinnui palam est, collatio instituitur: in posteriori autem gaudii utrobique præstantia invicem confertur. Sicut enim ea puerperæ felici è partu lætitiā suboritur, ut doloris quem sustinuit, memoriam tollat: ita magno perfundendi gaudio dicuntur Apostoli, quod describitur 1. à causalitate: πάλιν ἡ ὕψωμα ὑμῶν. *Augustinus*, & qui cum ipso v. 16. τὸ ὄπισθεν Discipulorum in adventum Christi ad judicium transferunt, hunc locum, atque sic mutuū Christi & Apostolorum cōspectum, alterius demum vitæ esse tradunt, cum Christus Apostolos ac omnes fideles vitæ hujus miseris defunctos ad se in cœlum recepturus & beatifica sui visione exhilaraturus est. *Simon de Cassial 12. c. 14.* Iteratam hanc visionem post solutionem animæ à corpore veram dedisse in Apostolis & adhuc in piè defunctis efficere lætitiā, ait. *Marloratus ad b. l. in effusione Spiritus S. super Apostolos*, quo etiamnum velut arrhabone credentes obsignentur, Christum se conspiciendum præbuisse. Omnia non incongruè. Principaliter tamen & ex mente Salvatoris ea ejus apparitio intelligenda est, quâ de superatis hostibus victorem agens distinctis vicibus non uno in loco Apostolis se redivivum exhibuit, de quo liquet *Johan. XX, 20. 2. à qualitate: καὶ χαρήσει αἱ ὑμῶν ἡ καρδία*, quibus haud obscure solidum Apostolorū gaudium ei opponit, quod Mundo in superficie saltim tignisq; pendet. Nam externum hujus est & apparens, quod cor non afficit: internum Christianorum



norum & verum, quod hæret in ipso pectore. 3. à durabilitate: καὶ τὸ  
χαρῶν ὑμῶν ἕως αἰῶν αἰῶν. Judæorum lætitia vix triduum su-  
perabat: Apostolorum in ævum durabat nullis seculis finienda, & li-  
cèt multa ipsis adversa obtingerent, semper tamen gaudio superabū-  
dabant in afflictionibus II. ad Corinth. VI, 10. VII, 4. Cont. Act. V, 41.  
ad Rom. V, 3. Sic Mundi gaudium ad fortunæ vices flectitur & facile  
in mœrorem abit: piorum è contrario constans ac perpetuum est, ut  
in perperessionibus quoq; & circumlatrantibus undiq; malis hilarem  
cœlo animum attollere possint, etsi per genas copiosæ fluant lacri-  
mæ. Præclarè de hoc diserit Chrysof. Homil. 16. ad Pop. Antioch.

XLVII. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐμὲ ὄκ ἐρωήσατε ἕδέν. Diem illum  
ad statum gloriæ refert Augustinus, quem κατὰ τὸ ὄδον sequitur Gre-  
gor l. 30. Moral. cap. 10. & Beda in Homil. b l. Commodius tamen ex in-  
tentione Christi dies ille dies gaudii, quod ex visione Domini perce-  
perunt Discipuli Johan. XX, 20. statuitur, in quo mens ipsis fuit aper-  
ta, ut Scripturas intelligerent Luc. XXIV, 45. neq; ulla interrogatio-  
ne opus haberent. Et quamvis nonnulla tum temporis è Salvatore  
quæsierunt Johan. XXI, 2, 1. Act. I, 6. nihil tamen obstat. His enim  
Christi verbis, ut Rupertus & Euthymius observant, non simpliciter om-  
nes quæstiones, sed quas de habitu ejus v. 17, 18. inter se moverant,  
excluduntur. Interim quoad plenam veritatis notitiam, in quam à  
Spiritu S. deducendi erant v. 13. diem Pentecostes haud malè subin-  
telligi, cum Chrysof. Hom. 78. & Cyrill. l. II. c. 7. in Johan. existimamus.  
In eo enim de omnibus ad doctrinam fidei & morum pertinentibus  
sufficenter instructi fuerunt, ut per totum vitæ ipsorum tempus  
nulla de iisdem dubitatio, aut dubitationis index interrogatio lo-  
cum habuerit.

XLVIII. Brèntius in Comm. b. l. Apostolos omniscios & omni-  
potentes fore à Christo promitti, ait, non quidem absolutè & infini-  
tè, verùm ut ex jam dictis & mox dicendis adparet, quoad subjectam  
materiam ratione cujus in omni sermone ac omni scientia divites  
facti sunt I. ad Corinth. I, 5. & ipsis, ut credentibus, omnia possibilia  
fuere Marc. IX, 13. De illo th. anteced. actum est. Hoc explicandum re-  
stat. In eo autem solitam sibi adseverationem juratoriam, de qua th.  
41. præfigit Salvator. Dein veram precum naturam exhibet i. in sub-  
jecto occupante circa quod invocatio versatur: ὅσα ἂν αἰτήσῃτε. Ubi,  
E 2 sicut

v. 23.





sicut & *Matth. XIII, 19. XXI, 22. Marc. XI, 24. I. Johan. III, 22.* non est universalitas simpliciter absoluta sed certi generis. Quæ enim cum Dei voluntate in Scripturis revelata pugnant, ut malarum actionum successus, extraordinaria dona, paucis admodum concessa, & ejusmodi alia in classem petendorum referenda non sunt *I. Johan. V, 14.* contra *Pontificios*, qui his Christi verbis abusi, donum continentia à quovis impetrari posse, perperam adferunt. Equidem optimè nobis cupit benignissimus Deus, nec ullum commodum si ex usu nostro sit, nobis in se claudi patitur. Cùm verò corporalia bona vel reverà vel apparenter talia sint, & non rarò plus detrimenti adferant, quàm utilitatis, ea non sine conditione, ut spiritualia, sed addita restrictione, si gloria Divinæ, & cùm proximi tum nostræ salutis eorum impetratio inserviat, petenda sunt. 2. *in objecto recipiente*, ad quod preces diriguntur. *ὁ πατήρ* Nomen Patris *h. l.* non accipitur *πρωτικῶς* pro prima duntaxat persona secundum relationem, quam *κατ' ἑσῶ* habet ad Filium, ut *ad Ephes III, 14. Coloss. I, 3* sed *ἰσῶδῶς* pro tota SS. Trinitate secundum Essentiam, quam *κατ' ἑξῶ* in creationis aliisq; gratiæ operibus exeruit *ad Ephes IV, 6. Galat. III, 26. Matth. VI, 4, 10. Luc. XI, 2.* quo respectu Christus Pater æternitatis *Jes. IX, 6.* & Spiritus S. Pater pauperum nominatur. Contra *Photin. Ostorod. in Disput. Germ. Tradel. opposit. pars 2. c. 8.* Francisc. David. *in Colloq. Transylv. act. 3. diei l. K. & act. 4. diei l. N.* Socin. *in refut. Bellarm. c. 3. class. i. arg. 4.* quos ex intemperia agunt, ut, solum patrem cultu religiosæ adorationis prosequendum, adfirmant, & invocationem in Christo non terminari, sed in Patrem, ut ultimum suum scopum, ab ipso transire: seu Deum potius in Christo, quàm Christum ipsum adorari. Quo hunc locum videntur adludere, præsertim *Goslavius*, qui absurdum esse, inquit, Filium Dei per Mediatorem vel in sui ipsius nomine invocari. Sed absq; ratione. Sive enim *absolutam* invocationem consideremus, quâ tota Trinitas in una Essentia adoratur: sive *relatam*, quæ ad certam personam & vel ipsum Salvatorem directa est, omnis abest absurditas. Nam sicut totam Trinitatem in Christo invocamus, ut qui Mediator sit Dei & hominum *I. ad Timoth. II, 5.* ita Christum in seipso petimusq; ut propter se, suam scil. cruentam passionem ac mortem nos exaudiat. Vid. *Himmel in tractat. de natura Invocat. part. 2. class. 1. 3. in modo*, qui in fundendis ad Deum precibus obser-



observandus: ἐν τῷ ὀνόματι μὲν. Nomen hoc est meritum incarnationis, natiuitatis, vitæ, passionis, crucis, orationis & mortis. *Sim. de Cas.* l. 12. c. 15. unde in nomine Christi orare nihil aliud est, quàm vera fide meritis ejus inniti, & quòd Pater cœlestis eorum gratia benevolas aures præbeat petitis nostris, firmiter credere. In eo enim solo diligimur *Ephes. I, 6.* & quia unicus homo est in gratia *ad Rom. V, 15.* per eum aditus nobis ad Deum patet *ad Ephes. III, 17.* ut nullis aliis intercessoribus & advocatis opus sit, qui causam nostram apud Deum agant, & quòd facilius voti compotes fiamus, urgeant. Contra *Pontif. Ad. Conz. in Com. h. l.* Costerum in *Enchir. de Ven. Sanct. solut. object. 2. §. 1.* Bellarm. l. 1. de *beat. Sanct. c. 17, 20.* Joh. à Daventria *Harm. in A. C. pag. 326. col. 1.* 4. In *Effectu*, qui devotas preces sequitur: δώστε ὑμῖν. Nunquam incassum abit precatio fidelium in nomine Christi ad Patrem instituta, quòd præter hunc, alia Scripturæ loca *Pf. XCI, 14. & XLV, 19. Is. LII, 9. Joel, II, 2.* comprobant. Ad quæ non est, ut Bellarm. l. 1. de *Justif. c. 11.* regerat, exauditionem certis conditionibus includi: si benè peramus, & si expediat, illud nobis dari; ideoq; neminem de ea certum esse, cum fide Divina & in particulari quis non noverit, se modo legitimo sibi proficua petere, sed fide humana, quæ in subsumendo ad universale ex vana persuasione falli & fallere possit. Hæ enim conditiones vel bona spiritualia & æterna non concernunt, quippe quæ non possunt non esse salutaria vel quia piis norma præstò est, ad quam preces exigere, & an rectè comparatæ sint, certò scire possunt, certitudinem exauditionis inanitis fidelium non labefactant.

XLIX. Hæc de Oratione ritè informanda illustrantur antithesi v. 24.  
 ἕως ἀπὸ δὲ ἡμῶν τὸ εἶδέν ἐν τῷ ὀνόματι μὲν Cujus variæ dantur expositiones, quas vide ap. Gerh. part 3. *Harm. p. 1231.* Tarnov. *in dubiis ad b. l. qu. 7.* Nobis ea probatur, quam tradunt *B. Luther. Tom. VII. Jen. super b. l. Brent. Hunn. in Com. h. l.* diceudo, pios in V. T. & Apostolos, ante completum Redemptionis opus, non explicitè, sed implicitè, h. e. sub involucris & umbris Leviticis in nomine Christi orasse. Multa enim in Scripturis simpliciter affirmantur aut negantur, quibus non nisi cum conditione sua veritas constat. *Flac. part. 2. Clav. tract. 8. in regul. de nat. Ling. Sanct.* Cujus evidenti exemplo est hic locus. Nam sicut eadem planè Ecclesiæ V. & N. T. fides, *Act. XV, 11.* quod *Reber. admodum & Excellentiss. Dn. Prales in Diss. De Vera Relig. V. T.* egregie demonstrat contra *Photin. & Arminianos*: ita utrinq; idem adorationis cultus, *Pf. LXXX, v. C. XXXI, 10. Dan. IX, 17.* distinctâ saltem temporis circumstantiâ, quâ sub V. T. in Messiam exhibendum ad arcam fœderis & propitiatorium, quòd teste Paulo *ad Rom. II, 25.* typus Messiae erat, Deum Patrem rogabant. *Exod. XXV, 22. II Sam. VI, 2.* Quod extra controversiæ aleam positum est. De Apostolis autem & fidelibus, qui sub initium N. T. vixerunt, dubium, an Christo jam nato & per miracula patefacto implicitè & sic in fiducia Mediatoris jam tum in sacrificiis, præfigurati Patrem adorarint? Cujus tamen affirmativa omninò tenenda videtur. Quia enim cultus Leviticus in illa *συνόμοσιν* V. & N. T. adhuc vigeat, & Christus officio Mediatoris nondum plene functus erat, argumento est, Apostolos & ceteros credentes non rogasse Deum Patrem in nomine Christi, qui, ut Sacerdos & Advocatus





tus, vi meriti sui jam præstiti preces ipsorum Deo Patri commendet, proq; ipsis intercedat; sed suum orandi modum continuasse, usq; dum Christus ex mortuis resurrexerit, in caelos adscenderit, & à dextris Dei Patris confederit, totiq; terrarum orbi Evangelium de suo nomine, merito & officio manifestarit. Vid. *Fevrb.* in κενωσιγρ. sect. 4. c. 2.

L. His mandatum addit Salvator, quod repetita exauditionis promissione & fructu, eam consequente, obsignat: αἰτεῖτε καὶ λήψετε, εἴνα ἡ χάρις ἡμῶν ἢ πεπληρωμένη. Part. ἵνα non est ἐξηγητική, ut ad αἰτεῖτε relata materiam orationis designet, quod *Bede* & *Kypert.* placet: neq; τελική, ut finem notet, in quem preces instituendæ, quod cum *Augustin.* *Cajet.* & *Lyran.* *Maldonato* videtur; sed ἐκβατική, quâ Effectus benevole exauditionis indicatur *Theophyl.* *Euthym.* citante *Barrad.* *Tom. IV. l. 5. c. 13.* Gaudium scil. quod ex benigna bonorum à Patre in nos collatione resultat, & perfectum dicitur, ut *Joh. XV. 11. Act. XIII. & ad Rom. V. 13. Phil. II. 2. II. Tim. I. 4. I. Joh. I. 4.* non perfectione graduum, quâ ratione in hanc vitam non cadit; sed partium, quâ ob fidei veritatem & spei certitudinem spirituale gaudium subinde crescit.

v. 25. LI. Ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν. Παροιμία propriè est παρόδιος λόγος, quo viatores ad tædium temporis fallendum utuntur, unde πολυφρούλητον sermone tritum, in triviis decantatum proverbium, dicitur. Hic loci est λόγος ὠφέλιμος μετ' ἐπικρύψεως μετρίως ἐκδοδόμενος *Basil.* in *Exord. Prov. Salem* vel, ut *Theophyl.* in *h. l.* definit. ἐπικρυμμένως καὶ τὸ ὅλον παραβολικῶς ἢ δεικνύων. Non autem ratione ipsius Christi sermonis, in se considerati, hoc effatum intelligi debet, ac si datâ operâ Salvator obscurus esse voluerit: sed ratione Apostolorum, quibus etiam clarissima de passione Domini vaticinia, *Matt. XXVI. 2. Luc. XXII. 31.* meræ tenebræ visa sunt: q. d. veluti sub umbris loqui videor, at pulsâ jam tenebris diffidentia, timoris, tristitia, quæ mentem vestram nunc obnubilant, omnia erunt perspicua. *Barrad. Maldon. Tirin. Tom. 3. Com. h. l.* Hic tropus illo Christi subindicatur: propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident, nec audientes audiunt, nec intelligunt *Matt. XIII. 13.* Vid. *Flac. part. 2. Clav. tract. 4. de trop. & Schemat. p. 330.*

v. 26. LII. Ut majorem animis fiduciam concipiant Apostoli & optima spe freti Patrem adeant, Christus primò suæ apud Patrem intercessionis meminit: & λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, περὶ ὑμῶν. Omnes ferè ἐναντιοφάνειαν huic loco inesse putant ratione officij Christi Mediatorij *ad Rom. II. 9. Hebr. VII. 25. IX. 24. I. Joh. II. 1.* & in ea tollenda operosi sunt, Vid. *Flac. part. 2. Cl. p. 367. Tarnov. ad h. l. qu. 9. Fevrborn. Fasc. 4. Diss. 6. th. 10.* & alios. Quid, si quis Christum præteritione usum fuisse statueret? Neque enim Servator ait, Non rogabo Patrem, sed, Non dico Vobis, quod rogaturus sim Patrem h. e. multa postem de efficaci mea pro vobis apud Patrem intercessione pro exauditionis certitudine in vestri solatium adferre, sed lubens prætereo, ne fortean suspicio vobis minus promptæ Patris erga vos benevolentia incidat, de qua tamen non est ut dubitetis. Ipsius enim Patris singularis in vos amor est. Inanem igitur operam sumunt, qui cum *Ostrod. Instit. Germ. c. 40.* Christum pro nobis non verè & propriè



prie, sed metaphoricè intercedere ex h. l. probare satagunt, Zanch. *part. 2. de trib. Elob. l. 3. c. 11.* Pareus in *c. 9. ad Hebr. p. 456.* Sohn, *Tom. 3 p. 47.* Jac. ad Portum in *de fens. Orthod. fidei c. 47.* cum Scriptura disertis verbis doceat, Salvatorem pre-  
cations proprie dicta, statui tamen ipsius glorioso conformi, pro nobis intercede-  
re Il. jam allegat. Vid. *Febvrb. in Fasc. 4. l. c. Syntag. part. 3. dissert. 3.*

LIII. Deinde propensum Patris in Apostolos animum ostendit: *αὐτοῖς* *u. 27.*  
*ὁ πατήρ Φιλῆι ὑμᾶς* Amore non tantum generali, quo totum genus hu-  
manum in missione Filij & universali vocatione per verbum prosequitur *Job. III,*  
*16. I. ad Tim. II, 4.* sed etiam cum primis speciali, quo credentes in justificatione &  
salvatione complectitur *ad Ephes. I, 6. I. Johan. III, 1.* Hunc enim exprimit  
*τὸ Φιλῆν*, quod de ardentissimo amore, qualis solet esse parentum erga liberos,  
usurpatur, *Johan. V, 20. XI, 3. Apoc. III, 19.* Part: *ὅτι* non est *αἰτιολογικῆ*, quod ar-  
guit locus *I. Job. IV, 10, 19.* Contra *Salmer. Tom. 9. tract. 72. Tolet. Jansen. Corn. à*  
*Lap. Conz. S. in b. l.* sed *σημαντικῆ*, qua Salvator Apostolos ex fide ipsorum  
per dilectionem efficaci de Patris amore certos esse vult. Sicuti enim *Luc. VII, 47.*  
Christus ab effectu ad causam argumentatur, quod ipse *Salmer. Tom. I. p. 327.* agno-  
scit: ita *b. in l.* eadem ratione à dilectione & fide Apostolorum, ut certo Divini  
amoris argumento, benevolam Patris in ipsos adfectum demonstrat. Vide ama-  
bò *Calixt. l. 6. c. 3. p. 337. S. c. 6. p. 366. Concord. Barrad. Tom. IV. l. 5. c. 17.*

LIV. *ἐξῆλθον παρὰ τῶν πατέρων.* Quamplurimi Patres ex *Mich. V,* *u. 28.*  
*2. Johan. XI, 27.* de æterna Filij à Patre generatione, & quæ sequuntur  
*ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον* ex *Johan. I, 9.* de temporali Christi nativitate intel-  
ligunt. Accommodè magis part: *καὶ ἐξηγητικῶς* sumitur, ac utrumq; de exina-  
nitione explicatur, quæ se de throno Majestatis velut demisit & in abjecta servi for-  
ma in Mundo adparuit. Exiit enim à Patre non per localem quandam descensio-  
nem, sed divinæ gloriæ quoad plenarium exercitium secundum humanitatem sus-  
pensionem, ut in illa pati ea posset, quæ ad munus Redemptorium, in hoc Mun-  
do perficiendum, requirerentur. Sensus hunc genuinum esse monstrat oppositio.  
Sicuti namq; *ἀφίεθι τὸν κόσμον* est deponere humanas infirmitates, & conspe-  
ctui, quem Mundo præbuerat, se subducere: *καὶ προέβηθι πρὸς τὸν πατέρα*  
peracto Redemptionis opere in gloriam Patris intrare *Luc. XXIV, 27.* ita *venire in*  
*Mundum* notat in adsumpta carne infimæ hominum conditionis participem fieri,  
& visibilem sui præsentiam Mundo exhibere: & *exire à Patre* non rapinam duce-  
re Deo æqualem esse, prout Apostolus hunc Christi à Patre exitum & in Mundum  
adventum exponit *ad Phil. II, 6. seqq.* Frustrà hinc suæ de corporali Christi absen-  
tia opinioni patrocinium quærunt *Calvinistæ.* Nam reliquit Christus Mundum,  
quando depositâ formâ servili & infirmitatibus humanis ad dextram Majestatis  
Dei & summam gloriæ excellentiam evehctus visibilem cum suis in Mundo conversa-  
tionem intermisit. Huic expositioni facem præferunt, *Luc. XXIV, 44. Joh. XVII,*  
*11.* Ubi Salvator ait: jam non sum in mundo, quæ verba *Gvaltber. homil. 150. in*  
*Johan. p. 337.* ita explicat: Ego illis posthac non conversabor, ut hæctenus. Cujus  
loci cum hoc nostro par est ratio: cont *10. Piscat. Observ. 2. in b. l. Ursin. in Catech.*  
*p. 337. Sohn. T. 1. p. 505, Sadeel T. 2. p. 534, Bezam Fol. 3. fol. 114.*

LIV. Sz-





LV. Scripsit à Salvatore ob ruditatem in pudorem acti discipuli non citra iactantiam in hæc verba prorumpunt: ἴδε, νῦν παρρησία λαλεῖς. Νῦν οἶδαμεν. Etsi autem sint, qui confessionem hanc Apostolis vitio verti nolint *Dionys. Carth. Maldon, in h.l.* à culpa tamen arrogantia non prorsus absunt. Nondum enim venerat tempus illud à Salvatore v. 25. prædictum. Interim laudi ipsis omnino dandum, quòd ex καρδιογνωσία, quâ interrogationem ipsorum præverterat Majestatem omniscientiæ Christi colligunt & incrementa fidei capiunt. ἐν τέτρω Hebr. more, qui ὄ pro δια usurpant *Gen. XII, 28. Hos. XII, 12.* sic *Matth. VI, 7. Luc. X, 20.* & alibi πιστεύομεν non fidei initium, ut *ex 6. 27.* liquet, sed augmentum indicat. Vid. *Johan. II, 11. XIV, 1.*

v. 31. LVI. Ne sibi ipsis imponant Apostoli, fidei iactantiam, infirmitatem ex eventu demonstrat Salvator: ἄρτι πιστεύετε, quod Interpretum pars Imperative, pars indicative, & vel nudè, vel cum interrogatione effert. Vid. *B. Gerhard. Tarn. in h.l.* Largitur Christus ipsos fide præditos esse, verum extra teli iactum & tranquillo rerum statu. Nam instante jam passionis suæ horâ fide ipsos excisuros, à fuga eorum & sui derelictione ostendit. σκορπίζουσι de dispersione ovium *Johan. X, 11.* & dissipatione exercitus in fugam versi. *I. Maccab. X, 38. II. c. XIV, 13.* accipitur. Sic Discipuli terga dantes fugâ dilapsi sunt ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια: per quæ *Nonn.* domum cuiusq; propriam intelligit. Nos de loco, in quem se quisq; ob metum contulit ex *I. Maccab. VI, 54.* cum *Tirin. Conz. Dieu in Com. h.l.* interpretamur. αἰπολογία subjunctæ ἐπιδομορωσεως οὐ ὁ πατήρ μετ' ἐμῶ ἐστὶ *Ambros. in expos. Symb. c. 10. Cyrill. Hunn. Tarnov. in h.l.* de unitate Essentialiæ *Johan. X, 80.* explicant quâ Pater Christo, ut Deo, incomprehensibili modo præsens est. *Dionys. Carth. Gerhard. ad h.l.* de auxilio, quo pater ipsi, ut homini tempore passionis præstò fuit *Ies. L, 7. 9.* Quoad utrumq; verissimè. Primariò tamen de assistentia Patris sibi præstita Christum loqui præter cætera ex opposito elucet: quam, cum in immensis doloribus hæreret, ratione solatij sibi denegatam queritur *Matth. XXVII, 46.*

v. 33. LVII. Ad postremum in conclusione hujus sermonis per ἀνακεφαλαίωσιν dictorum summam facit, designando prius scopum principalem à se hæcenus intentum: ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε. Pacis nomine hic venit nostra cum Deo reconciliatio *ad Ephes. II, 14, 16. Col. I, 20,* & quam illa parit, conscientia tranquillitas *ad Rom. V, 1. Phil. IV, 7.* Deinde in pauca confert, quæ in Concione hæc Valedictoria latius diduxerat I. de statu & conditione discipulorum futura: ἐν τῷ κόσμῳ θλίψιν ἔχετε v. 2, 3, 20, 22, & hæc denuò inculcat, quòd consolationem iis opponendam, eò melius sibi infigant. 2. de Confidentia & spe fortunæ secundariis: ἀλλὰ παρσείτε v. 4, 16, 20, 22. Syr. כבב ליהן recipite cor, animis robur concipite, *Sasset euch ein Herze.* 3. de Confirmatione: ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον, quibus omnia argumenta superius v. 7, 10, 16, 24, 28. adducta continentur. Nam partæ Christi de Mundo victoriæ acceptum ferre habemus, quicquid boni in nos redundat.

TIBI JESU GLORIA!

Errata insigniora. *Th. 2. lin. 15.* præsentem adde cum futuro *Th. 3. l. 6. lege Marlorato. l. 8. 9. censent. Th. 4. l. 3. Natales n. supple debet Th. 7. l. 6. in locum Cic. substitue. Fabric. Th. 8. l. 28. leg. his. Th. 15. l. 10. urnam. Th. 17. l. 4. λύπη. Th. 27. l. 7. sequit *Th. 26. l. 8. in quam l. 14. ἐβίασται. Th. 32. l. 20. sicuti pro simul,**





✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  


KD 18










Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



68

N. J.  
IO EXEGETICA  
*In*  
MUM SEXTUM  
JOHANNIS.  
ESIDE  
LYSERO, D. P.P.  
DECANO  
*ilationi exhibitz*  
à  
OLLIO TORGENSEI.  
*Junij, loco & horis*  
*nsuetis.*  
BERGÆ,  
öhneri, Acad, Typogr.  
b b c XLV.

